



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Libertatibus Ecclesiae Gallicanae**

**Charlas, Antoine**

**Leodii, 1684**

Liber Septimus De autoritate Summi Pontificis in definiendis Fidei  
quæstionibus occasione quartæ propositionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38227**

## LIBER SEPTIMUS

De autoritate summi Pontificis in definiendis Fidei quæstionibus occasione quartæ propositionis, scilicet,

**I**N fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusq; Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesie consensus accesserit.

## CAPUT PRIMUM.

*Summaria discussio hujus propositionis.*

1. **P**Utaveram hæctenus, libertates Ecclesie Gallicane nullatenus ad Fidem pertinere, in qua potissimum repositam arbitrabar strictam illam Ecclesie Gallicane cum Romana conjunctionem, quam ceu hæreditatem ab Atavis acceptam, constanterque semper retentam prædicant illius gentis Scriptores. Verùm cum ad tuendas illas libertates Decreta summi Pontificis circa disciplinam non valere, nisi acceptata fuerint, jam tradidissent aliqui Autores Gallicani, nunc Illustrissimi Antistites Decreta circa fidem non esse irreformabilia declarant: Itaque nescio quomodo in posterum Galli poterunt de strictiori cum Romano Pontifice gloriari conjunctione.

2. Etenim Ecclesiasticas leges libertatibus Ecclesie Gallicane adversari, atque aded non acceptandas esse, & consequen-



quenter non obligare, quoties libebit, causabuntur: Decisiones verò circa fidem incertæ manent, quamdiu iudicium de illis prolatum reformabile est. Quod autem incertum est, de fide non est. Iis autem, quæ de fide non sunt, nemo internum necessariò tenetur præbere assensum; sed potest vel eum suspendere, vel omninò negare, & dissentire, donec irreformabili iudicio res definita fuerit.

3. Frustrà ergò Antistites Gallicani auctoritati Pontificiæ gravissimum vulnus illaturi honorificâ præfatiunculâ ferrum occultant, præcipuas summo Pontifici partes concedentes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias protendentes. Nam quæ sunt præcipuæ illæ partes summi Pontificis? Quod primus sententiam suam debeat promere, quemadmodum Africana Concilia professâ sunt in epist. ad Theodorum Papam, quæ lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino I. Theodori successore anno 649. his verbis; *Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo partibus ageretur Provinciarum, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi AD NOTITIAM ALMÆ SEDIS VESTRÆ FUISSET DEDUCTUM, & hujus auctoritate jussu que fuisset pronuntiatio FIRMARETUR.* At quantis laudibus donatus est ab Episcopis anno 1681. Parisiis congregatis liber Joannis Gerbasii de causis majoribus, in quo primum illarum iudicium ad Episcopos, & Concilia Provincialia pertinere contendit.

4. An summi Pontificis prærogativa in eo erit, ut quæ à Conciliis Oecumenicis decreta fuerint, eorum ipse urgeat executionem? Sed hæc cura summi Pontificis dignitatem non tam arguit, quàm tollit, quandoquidem merus Executor constituitur, sine facultate interpretandi iudicii, ità scilicet, ut illa interpretatio irreformabilis sit, atque adeo ad consensum internum fideles arctet.

5. At privilegium illud sanctæ Sedis ad hoc valebit, ut ejus Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant. Verùm non ejus, sed Conciliorum generalium Decreta id sibi vendicabunt; siquidem penes illa, non penes Papam est auctoritas controversas fidei judicandi irreformabiliter. Quod enim fortasse aliquis reponat, interim dum expectatur Concilium Oecumenicum, standum esse iudicio Papæ, efficit, ut publicè con-



366 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
contradicere nemo debeat ( quod ad Politiam quandam ex-  
ternam tantum referendum est ); non autem, ut ei quif-  
quam interius assentiri teneatur, quandoquidem errori ob-  
noxium est. Sed nec primum quidem illud efficit, saltem si  
Gersonio credimus.

6. Gersonius quippè de examinatione doctrinarum part. 1.  
considerat, 5. docet non solum Concilium Oecumenicum,  
aut Nationale, vel Provinciale, sed & Doctorem quemlibet  
posse summo Pontifici obistere, manifestum errorem contra  
fidem proponenti. *Staret quod aliquis simplex non autorizatus, esset tam  
excellenter in Sacris Litteris eruditus, quod plus esset credendum in casu,  
doctrina sua assertioni, quam Papa declarationi; Constat enim plus esse cre-  
dendum Evangelio, quam Papa; si doceat igitur talis eruditus veritatem ab-  
quam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultro erraret, patet  
cujus preferendum sit iudicium. Quæ autem veritas in Evangelio  
adeò expressa esse potest, antequam ab Ecclesia declarata sit,  
quæ non alicui Doctori, vel etiam pluribus, error mani-  
festus non possit apparere? Quæ ergo poterit autoritate com-  
primi Doctor ita affectus, interim dum conveniet Concilium,  
aut quousque consensus Ecclesiæ accesserit, prout requirunt  
Antistites Gallicani?*

7. Quæ verò ratione dignosci poterit Ecclesiæ consensus,  
si Provinciæ Christianæ circa illam controversiam inter se  
dissentiant? An illa vera Ecclesia censebitur, quæ Capiti om-  
nium, Romano scilicet Pontifici adhærebit? Recurret idem  
inconveniens, quod scilicet illius iudicium, si non sit irre-  
formabile, possit fideles in errorem pellicere.

8. Verum, ut videas quantum summi Pontificis senten-  
tiæ plerique Gallicani Doctores honorem deferant; & utrum  
ei provisionaliter obtemperent; aut saltem illam silentio ve-  
nerentur, ad ea, quæ non ita pridem gesta sunt, oculos con-  
verte. Exigitur à Catholicis in Angliâ degentibus juramen-  
tum, hanc inter alias clausulam continens; *Præterea iuro, quod  
ex corde abhorreo, detestor, & abjuro tanquam impiam, & hæreticam hæc  
doctrinam, & propositionem, quod Principes per Papam excommunicati, vel  
deprivati possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi, vel occidi.*  
Paulus V. in Brevi ad Catholicos Anglos dato 23. Septem-  
bris 1606. in quo insertus est prædicti juramenti tenor, il-  
lud



lud his verbis reprobat; Quæ cum ita sint, vobis ex verbis ipsis per-  
 ficitur esse debet, quod huiusmodi iuramentum salvâ fide Catholicâ, & sa-  
 lute animarum vestrarum præstari non potest, cum multa contineat, quæ fi-  
 dei, & salutis apertè adversantur. Quia verò nonnulli Breve illud  
 summo Pontifici de rei veritate plenè non instructo subrep-  
 tum causabantur; Non ex animi nostri sententia, nostraq; propriâ volun-  
 tate, sed potius aliorum intuitu, & industriâ, inquit summus Ponti-  
 fex, ea de re conquerens in altero Breve dato 23. Octobris  
 1607. addidit; Eapropter ad vos iterùm scribere decrevimus, ac denud  
 vobis significare litteris nostras Apostolicas anno præterito 10. Kal. Octobris da-  
 tas de prohibitione iuramenti non solum motu proprio, & ex certa nostra scien-  
 tia, verum etiam post longam, & gravem deliberationem de omnibus, quæ in  
 illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, & ob id teneri vos illas omninò  
 observare omni interpretatione secus rejecta. Hæc est autem mera, pura, inte-  
 gra, voluntas nostra, &c. Nihilominus Doctores Parisienses,  
 quos illam Papæ sententiam latuisse non potest, sic censue-  
 runt. Nos infra scripti Sacre Facultatis Parisiensis Doctores Theologi censuimus  
 iusjurandum, ut in obversa pagina conceptum est, salvâ fide, & iurâ conscien-  
 tiâ à Catholicis Anglis jurari posse, si modo in propositione, quæ est de deposti-  
 tione, & eade Principum, quæ damnat ut heretica, verba Deponi, & oc-  
 cidi, conjunctim accipiantur: imò etsi divisim, itaut tamen propositio hereti-  
 ca materialiter, id est, verbo Dei contraria sinitur; quatenus posse Principes  
 deponi essent, formaliter verò etiam quatenus & occidi posse superaddit. Deli-  
 beratum, datumq; Parisiis die 16. Augusti anno 1680. subscripsere 56.  
 Doctores die 19. Augusti 1680.

9. Sed consideremus utrum declaratio Illustrissimorum Præ-  
 sulum Gallicanorum cum Scriptura sacra consentiat, aut Sa-  
 cris Canonibus, & Patrum traditione, quæ sunt fundamen-  
 ta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, nitatur; Annon potius ve-  
 rum sit, quod aliqui scripserunt, eam sententiam nonnisi post  
 schisma tempore Concilii Constantiensis in lucem editam;  
 antea verò iudicium summi Pontificis tanquam indubitatum  
 habitum fuisse, non propter, aut post Ecclesiæ consensum,  
 sed etiam propter non errandi privilegium B. Petro, & ejus  
 Successoribus à Christo collatum.

10. Porro ipsa propositio, quam hic expendimus, satis de-  
 clarat non agi de Papæ tanquam privatæ personæ, opini-  
 bus; sed de ipsius tanquam summi Pastoris, & Pontificis



368 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
totam Ecclesiam influentis doctrina; uno verbo de Decretis,  
quæ ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant; Idque in fidei  
quæstionibus.

II. Non disquirimus etiam; An summus Pontifex aliquam  
fidei quæstionem definiturus egeat consilio, & quo, quare  
alia diligentia uti debeat. Supponimus enim ipsum, ne Deum  
tentet, media teneri adhibere ad cognoscendam veritatem or-  
dinata. Sed si Divina providentia eum ad finem, id est fidei  
veritatem certò, tutoque assequendam dirigat, sine dubio ad  
assumenda media necessaria etiam inducet. In eo igitur fisti-  
mus; An Papæ judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit, in-  
certum sit, & reformationi obnoxium concurrentibus qui-  
busvis aliis conditionibus.

## C A P U T II.

*Probatnr autoritate sacra Scripturae iudicium summi  
Pontificis circa quæstiones fidei esse irreformabile,  
seu infallibile.*

I. Summum Pontificem esse Caput Ecclesiæ, professi sunt  
etiam ipsi Episcopi Parisiis anno proximè præterito con-  
gregati ad cohibendam Curiam Romanam, ne, ut ipsi me-  
tuere videbantur, jurisdictionis Episcopalis jura paulatim in-  
vaderet, & infringeret. Et sanè Concilium Constantiense,  
cui Galli tantum deferunt, inter alios Wicleffi articulos, il-  
lum damnavit, qui hanc Papæ dignitatem, autoritatemque  
abrogabat. Quoniam autem fundamento nititur Catholica  
doctrina, Hæreticorum, & Schismaticorum accephaliæ op-  
posita? Ubinam Evangelii de Pontifice Romano sit mentio?  
cùm ne quidem Pontifex Romæ existeret, quando res in  
Evangelio narratæ gestæ sunt, sufficit (inquiens) ut certò  
sciamus summum Pontificem esse Successorem S. Petri, ut  
indè certò etiam colligamus, illum hujus esse dignitatis,  
& autoritatis hæredem. Ità est omninò: ad Divinam enim  
providentiam pertinet, ut quibus idem confert officium,  
eandem tribuat autoritatem.

2. At-



2. Atqui evidentius in Scripturis (de traditione enim constabit ex sequentibus Capitibus) patet D. Petrum, ut supremum Ecclesiæ Pastorem, privilegium non errandi in fide obtinuisse à Christo, quam Romanos Pontifices fore sancti Petri Successores in cura universarum Christi ovium. Cur ergo qui in Romanis Pontificibus istud sancti Petri officium agnoscunt, etiam nihil à fide alienum statuendi prærogativam eis non concedunt? Petrum ut Ecclesiæ Pastorem privilegium non errandi à Christo accepisse, ita est in Evangelio luculenter significatum, ut nihil videatur in eo luculentius. Luc. 22. ait Dominus, *Simon, Simon, Ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo circa patet primò Christum aliquam Petro præ cæteris Apostolis gratiam postulasse. Ad eum enim singulariter dirigitur sermo; *Simon, Simon; Prote; fides tua, Et tu; Confirma fratres tuos.* Quodque prælationem Petri specialiùs indigitat, cum communem omnium Apostolorum circa fidem tentationem commemorasset, reliquis prætermiſſis ad Petrum solum sermonem dirigit; *Ecce Sathanas expetivit vos; Ego rogavi pro te.* Sed quid dico prætermiſſis? Imò eorum expressâ factâ mentione; sed eo fine ut doceat eos à Petro, vel eorum Successores à Successoribus ejus confirmandos in fide; *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Secundò patet hanc gratiam à Christo impetratam Petro, non ut privatæ personæ tantum, sed ut Apostolo, & Apostolorum ipsorum Pastori, *ut non deficiat fides tua, Et tu confirma fratres tuos.* Tertiò conjunctio, & causam indicare videtur, cur Christus pro Petro specialiter rogaverit, fidemque indeficientem exoraverit, scilicet ut alios confirmaret; *non deficiat fides tua; Et tu confirma fratres tuos.* Quod ad officium, atque ad eò ad Successores pertinet.

3. Porrò quâ ratione alios posset confirmare, qui titubaret ipse? Vel potiùs quomodo posset labantes sustinere, aut lapsos erigere, si ipse non solum per hæresim jam corruisset, sed etiam alios per propositionem hæretici Dogmatis, publicè toti Ecclesiæ factam, ad casum posset impellere? Necessè est, ut firmiter stet, cujus officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare: Eum, qui dux aliorum



370 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
constituitur, oculis valere oportet. Alioquin illorum incolu-  
mitati non consulitur, sed utrique ad foveam mittuntur:  
Præsertim dum non est alius, qui à recto tramite deviantes  
moneat. Quod addo, ne quis reponat posse fideles à summo  
Pontifice deceptos ad veritatis viam revocari à Concilio ge-  
nerali. Sicut enim (quod superiori libro notavimus) tribus  
primis sæculis impossibile fuit Concilium generale congre-  
gare, ita totidem, & pluribus posset eadem facultas deesse,  
his præsertim temporibus.

4. Sed ut ad propositam rationem redeamus, quo Scrip-  
turæ loco tam apertè declaratur, Romanum Pontificem esse  
Beati Petri successorem, & Caput Ecclesiæ, quod de fide  
esse concedunt etiam Illustrissimi Episcopi Gallicani, quam  
eo quod adduximus testimonio constat, Beato Petro ut  
Ecclesiæ Capiti, & supremo Pastori datam esse fidem indefi-  
cientem.

5. Dum Christus Joann. ultimo suas oves Petro pascendas  
commisit his verbis; *Pasce oves meas*, nonne cum officio, cæ-  
tera etiam, illi ritè obeundo necessaria, elargitus est; quo  
in genere videtur fuisse indefectibile in materia fidei iudicium.  
Cum enim id maximè curare debeat spiritualis Pastor, ut  
fides incorrupta servetur in grege, quippè quæ radix sit, quæ  
permanente reviviscere faciliè cæteræ virtutes possint, quæ  
sublatâ, penè omnis sublata sit spes salutis, ac sine fide im-  
possibile sit placere Deo, vel salutem æternam consequi: con-  
venit omninò, ut cui suprema totius gregis dominici cura  
incumbit, ea dote præditus sit, ut oves ipsius vocem se-  
quentes à venenosus errorum herbis se non inficiendas, sed  
salubribus veritatis pascuis alendas, & impinguandas securis-  
simè confidant.

6. Prætercà, ut Ecclesia, quæ est columna, & firmamen-  
tum veritatis (hanc enim ei dotem tribuit spiritus Sanctus  
per B. Paulum 1. Tim. 3.) firmiter stet, necesse est, ut  
fundamentum, quo nititur, sit in fide firmum, & incon-  
cussum, Petrus autem, ejusque adeò Successor Romanus Pon-  
tifex est fundamentum Ecclesiæ, ut ipsemet Christus Petro  
revelavit; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædi-  
ficabo Ecclesiam meam* Matth. 16. Debet ergo Romanus Ponti-  
fex



sex ut fundamentum Ecclesiæ; idest, quandò toti Ecclesiæ fide credenda proponit, in fide ipse firmissimè stare, ne illo deficiente totum Ecclesiæ corruat ædificium. Ecquis enim, nisi fortè ab Ecclesia cum modernis Hæreticis extorris, concedere audeat Ecclesiam concidere posse, dicente Christo post verba modò adducta; *Et porta inferi non prævalebit adversus eam?* Quis sine horrore audiat, vel audit etiam omninò hominem blasphemantem, & conferentem Christum *Viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam.* Hinc enim sequeretur error hæreticorum; *Et descendit pluvia, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Nonne potiùs Christus super Petrum ædificans Ecclesiam suam assimilabitur *Viro sapienti, qui ædificavit domum suam super Petram.* Et descendit pluvia, & reverserunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit? Sed quæ tantæ firmitatis est causa? **FVNDATA ENIM ERAT SVPER PETRAM. Matth. 7.**

7. Certè non sine aliquo mysterio Christus nomen proprium Simonis in nomen Petri, aut petræ commutavit, hoc enim tantum significat vox Græca, & ita Christus ipse interpretatur. Mysterium autem illud indicant verba supra relata; *Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quorsum enim Christus post confessionem suæ Divinitatis à Petro revelante Patre Cœlesti factam, dixisset; *Tu es Petrus,* nisi eo nomine significare voluisset se hanc ei dignitatem pro illius confessionis præmio conferre, ut immotum esset Ecclesiæ fundamentum, sicut explicant verba sequentia; *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

8. Hæc autem dixit Christus Petro post publicam illam fidei professionem; *Tu es Christus filius Dei vivi,* quam tantoperè laudavit Christus; *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est; Et ego dico tibi; Quia tu es Petrus, &c.* quam confessionem solus edidit Petrus, licet interrogati omnes Apostoli fuissent; *Vos autem quem me esse dicitis? Ut intelligas eum totam Ecclesiam representasse, cujus futurus erat fundamentum.*



## CAPUT III.

*Confirmatur eadem doctrina contra Joannem Launoium.*

1. **Q**UOD ex illis Christi ad Petrum, verbis omninò perspicuis, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua* Luc. 22. necessariò non sequatur, in fidei quæstionibus Romani Pontificis iudicium esse irreformabile, nonnisi ex duplici capite videtur posse procedere, vel ex eo, quod Christi oratio non fuerit exaudita, vel ex eo, quod idem non deficienti privilegium ad Petri successores non emanaverit. Utrumque verbis continud sequentibus excluditur, ut superiori capite insinuavimus. Primum quidem, quia Christus Petro munus imponit confirmandorum in fide fratrum, idque tanquam ex oratione pro eo facta consequens; *Rogavi pro te, & tu confirma fratres tuos*; quasi diceret. Ego indeficientem tibi fidem impetravi; da operam, ne alii deficient, quibus verbis exauditum se innuit sine dubio. Secundum autem, quia fidem indeficientem Petro, non solius ipsius causâ, sed in bonum gregis ipsi commissi, atque aded tanquam supremi Ecclesiæ Pastoris privilegium, ad omnes in illo successuros officio transi-turum, obtentam fuisse significat hæc copulativa, &, quæ collectivæ seu rationalis vim habet; *Ideo ego rogavi, ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos*; seu; *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; Tu ergo illo indeficientis fidei munere præditus confirma fratres tuos.

2. Aded sancto Augustino certum erat exauditam fuisse hanc Christi pro Petro orationem, ut secus dicere, ceu blasphemiam haberet; *An audebis*, inquit lib. de corrept. & grat. cap. 8. *dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, DEFECTV RAM FVISSE*; si Petrus eam deficere voluisset, hoc est si eam usque in finem perseverare noluisse: quasi Petrus aliud ullo modo vellet. quam pro illo Christus rogasset ut vellet, &c. Et beatus Prosper in epistola ad Rufinum; *Certe pro eo rogaverat Dominus, NE DEFICERET FIDES IPSIVS, nec utique frustra rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat operatio.* Privilegium autem illud B. Petri ad ejus successores Romanos transmittendum apertè declarant Concilia, Pontifices,



Patres, & Doctores in sequentibus capitibus producendi, qui ubi de propositâ Ecclesiæ à Romanis Pontificibus circa fidem doctrinâ meminere, ad S. Petrum eam retulerunt.

3. Utrumque complexus est Leo IX. in epistola 9. quæ est ad Michaëlem Constantinopolitanum Episcopum his verbis; *Ego autem rogavi, &c. Erit ergo quisquam tanta dementia, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum, quam per suos successores convicta, atque expugnata sunt omnium hereticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hætenus nec defecit, neque in suam deficiet, sunt confirmata?*

4. Joannes tamen Launoius argumentum, quod ex eo Evangelii loco desumitur ad struendum Romani Pontificis in fidei quæstionibus non errandi privilegium, part. 5. epist. 6. more suo dissolvere conatur, proposito primum Decreto Concilii Tridentini sess. 4. contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari vetantis; tum constitutis quatuor Patrum, & Tractatorum Ecclesiasticorum in alio sensu locum illum Luc. 22. aliter exponentium, Classibus. Sed primo, ut alibi notavimus, si nullum est argumentum, quod à Scripturæ sacræ loco deducitur, si ab aliquo ex Patribus in alio sensu fuerit acceptus: Nihil unquam concludi poterit ex tot illis locis, circa quæ Launoius varias attulit interpretationes, & speciatim ex isto, quem præ manibus habemus, quem quatuor modis expositum probat.

5. Secundo variæ illæ interpretationes, cum inter se contrariæ non sint, nequaquam se destruunt, imò nec alias, quæ addi possunt: ut enim docet S. Thomas quodlibet. 7. art. 14. ad quintum: *Auctor principalis Sacra Scriptura est spiritus sanctus, qui in uno verbo Sacra Scriptura intellexit multò plura, quam per Expositores Sacra Scriptura exponantur, vel discernantur. Quam doctrinam pluribus in locis repetit, adeò illi certa erat. Eam etiam ejus Magister S. Augustinus, aliiq̃ sancti Patres longè antea tradiderant. Itaque, inquit S. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 31. cum alius dixerit, hoc sentit (Moyfes, idemq̃ in alio quovis Scriptore Canonico locum habet) quod ego: & alius, imò illud quod ego: religiosus me arbitror dicere; cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, si quid quartum, & si quid*



quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus Sacras Litteras, veras, & diversa visibus multorum sensibus temperavit? Alioquin enim Patres posteriores, qui antiquiores tantâ veneratione prosequerantur, tantoque Spiritûs sancti lumine illustratos existimabant, non tam facile novas interpretationes excogitassent, suas præferentes alienis, si vel unum tantum esse ejusdem Scripturæ sensum, aut antiquas interpretationes per novas everti credidissent.

6. Tertio, sed videamus quæ sint illæ interpretationes, quas affert Launoïus. Prima, pro qua refert 44. testes, est; orasse Christum ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea, & gratia Dei tunc demum perseveraret. Verissima quidem est illa interpretatio, sed num excludit privilegium non errandi, cum Petrus fidei quæstionem aliquam Ecclesiæ proponet? num perpetua Petri in fide perseverantia contraria est certitudini ejus judiciorum circa fidem? Num quia ipse erroris erit omnino, ac certò expers, fideles sibi à Christo commissos in errorem impellet? aut numquid prædicta interpretatio privilegium non errandi sistit, ne ad successores Petri pro rectè gerendo supremi Pastoris officio transeat? Nonne e contra in aliquibus ex iis testimoniis contrarium expressè affirmatur? Quid enim sibi volunt illa S. Leonis verba ex ferm. 3. de Anniversario die Assumptionis suæ ad Pontificatum, quæ Launoïus refert sub num. 15. *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis; & Divina protectionis auxilio pariter indigebant, quia Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo firmatur, & Divina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque dilectissimi tantum nobis videamus præsidium Divinitus institutum, rationabiliter, & justè in Ducis nostri merito, & dignitate latetur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, ut, si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectè disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est; Et tu conversus confirma fratres tuos; & cui post resurrectionem suam Dominus ad Trinitatem*



atque amoris professionem mysticâ insinuatione ter dixit, *Pasce oves meas*; quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans. Idem, iidemque ferè verbis continet alter locus ibidem relatus ex serm. 2. de Natal. Apost. Petri, & Pauli.

7. Consonat Theodoretus, his verbis à Launoio sub n. 17. relatis; Ego autem rogavi, &c. *Quemadmodum enim ait, ego te fluctuantem non despexi, ita & tu sustentaculum esto fratribus conturbatis: ET QVO SERVATUS ES AUXILIO IPSE ALIIS IMPARTIRE, neque labascentes impellas, sed erige periclitantes. Idcirco enim & te labare suo, CADERE NON PERMITTO, stabilitatem per te fluctuantibus procuramus. Sic orbem terrarum universum fluctuantem atque labantem MAGNA HÆC COLUMNA CONFIRMAVIT, & ut corrueret, omninò non permisit, sed erexit, stabilemque reddidit, oves Divinas pascere jussus. Idem insinuat Theophilactus sub num. 19. relatus his verbis in capite 22. Luc. Tu verò conversus confirma fratres tuos: planus hujus intellectus est, quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam negato me steteris, & ad penitentiam veneris confirma ceteros. Hoc etiam te decet, qui post me PATERA ES ET FIRMAMENTUM ECCLESIAE.*

8. An non eodè tendunt verba Euthymii Zigaboni in eundem locum, relata sub num. 21. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Conversus post negationem, videlicet post fletum amarum. Hoc est in pristinum locum denuò restitutus. Fratres autem ejus dicit reliquos Apostolos, aut illos, qui per eos erant credituri.*

9. Nonne aliqui ex his, quos in hac Classe reposuit Launoius, sicut in iis, quæ hîc refert, locis non excludunt à privilegio non errandi, neque Petrum, neque Pontifices in ea dignitate, atque officio ei successuros, ita in aliis locis expressis verbis infallibile Romani Pontificis judicium luculentissimè asserunt, v. g. S. Thomas, cujus alibi verba referimus? Putasne Caietanum, quem sub num. 34. exseribit, sensisse Pontificem in proponenda toti Ecclesiæ doctrina fidei errare posse? Non eum tam malè alibi habuisset Launoius. Testantur egregii illius Doctoris mentem tria prima ejus opuscula, digna omninò quæ legantur. Sufficiat hic recerre illius verba ex commentariis in S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 2. *Papâ determinante judicialiter, & definitive aliquid esse hæreticum, & ab Ecclesia pro hæresi habendum, constat, quod omnes tenentur acceptare,*



10. Sed cujusmodi est probatio, quam Launoius mutatur ex testimonio Maldonati, quem num. 40. fatetur in ipso loco ab eo citato docere summum Pontificem errare non posse, quia aliàs non posset fideles confirmare? An quia Maldonatus dixit; sibi non displicere interpretationem S. Ambrosii, Theophylacti, & Euthymii, qui conversum exponunt à peccato, quo Christum negavit, actâ penitentiâ, quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam. An illæ interpretationes inter se pugnant, & se invicem perimunt? An sententiam mutavit Maldonatus circa infallibile judicium Papæ, aut idedò illam minus certam habuit, quia ei non displicuit interpretatio S. Ambrosii, Theophylacti, & Euthymii nequaquam contraria.

11. Stephanus Menochius 43. loco relatus etiam aperte innuit, se indeficientem fidem Petro ut privatæ personæ non tribuere, sed ejus officio, cui succedunt Romani Pontifices. Et tu igitur aliquando conversus, scilicet à peccato negationis, confirma in fide orthodoxa, & reliquis ad salutem ducentibus, fratres tuos, non Apostolos tantum, sed omnes etiam fideles. Quomodocumque intelligenda sit vox illa *Conversus*, quæ, ut alibi dicemus, aliud, quam conversionem à peccato propriè significare potest; planum est, non defecturam Petri fidem, ut possit fratres suos confirmare.

12. Itaque Launoius causæ nostræ profuit plurimum testes conquirens, & congerens, cum si diligentius eorum testimonia expendantur, nobis consentire ne dum non adversari compariantur.

13. Sed quid reponemus ad autoritatem Alexandri VII. qui Classi huic finem imponit? Nimirum summus ille Pontifex Epistolam ad Lovanienses Theologos scripsit anno 1662. in qua præclarissimorum Ecclesiæ Catholice Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaq; dogmata nuncupavit. Ubi inquit Launoius, doctrinam B. Augustini probando suam facit . . . . . Quod igitur de B. Augustino dogma retulimus, inconcussum, & tutissimum decernente Pontifice haberi debet. Facilis est ad hominem responsio. Alexander VII. doctrinam Beati Thomæ probando suam facit; Atqui certò certius est, & ex verbis sancti Thomæ suo loco referendis luce clariùs



rius est, sanctum illum Doctorem sensisse summi Pontificis iudicium in quæstionibus fidei esse irrefragabile, & indefectibile; Illud igitur dogma inconcussum, & tutissimum decernente summo Pontifice haberi debet. Cæterum si utriusque Sancti doctrinæ, quam alibi proponimus, comparatio instituitur; longè evidentius erit nobis suffragari sanctum Thomam, quam refragari Divum Augustinum. Quamquam summi prædictum elogium non eo pertinet, ut quidquid illi Sancti dixerunt, Pontifex suum faceret. Alioquin enim non potuisset Constitutionem illam edere circa Conceptionem Beatissimæ Virginis, ex qua Launoius probat, ipsum approbasse Concilium Basileense, cuius Decretum, sicut & ipsa Alexandri Constitutio Divi Thomæ doctrinæ non consonat.

14. Secunda interpretatio loci suprarati ex Luc. 22. est eorum, qui tradunt *orasse Christum, ut Romana Ecclesia, per Petrum fundata, à fide nusquam deficiat.* Hanc etiam interpretationem libenter amplectimur. Non enim excludit auctoritatem summi Pontificis, imò eam adstruit. Quis enim Ecclesiam Romanam idè in fide immobilem esse non fatebitur, quod ejus specialiori modo Caput sit summus Pontifex, à quo privilegium illud in ejus membra, quatenus ipsi conjuncta sunt, derivatur. Id apertissimè declarant ipsamet testimonia, quæ Launoius in hanc Classem conjicit, quæque nos suis locis reddemus. Nec videtur aliunde peti posse illud privilegium. Propter illam orationem Christi, inquit Joannes Dartis Regius in Academia Parisiensis Professor, de Beneficiis sect. 1. cap. 3. *sua illa ejus verba, omnes colligunt ECCLESIAM ROMANAM NON POSSE ERRARE.* Oratio autem Christi pro solo Petro facta est, atque adeò ejus effectus ad Ecclesiam Romanam non nisi per ipsum, ac per ejus successores derivatur.

15. Tertia Classis est eorum, qui tradunt *orasse Christum ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide nusquam deficiat.* Idem de ista dicimus, quod de secunda. Quia enim B. Petri Apostolorum Principis, & Romani Pontificis, eadem est Sedes; eadem erit doctrinæ certitudo.

16. Quarta Classis est eorum, qui tradunt *orasse Christum, ut universalis Ecclesia, vel etiam universale Concilium à fide nunquam deficiat.* Hæc etiam interpretatio vera est in sensu S. Leonis



378 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
supra relati, & aliorum accepta; ut nimirum à B. Petro  
tanquam à Capite ad cætera membra defluat doctrinæ circa  
fidem certitudo. Ita se ipsos explicant plurimi ex iis, quos  
in hac Classe reponit Launoïus, præsertim Leo IX. S. Tho-  
mas, Beatus Vincentius Ferrerius. Quod ex eorum verbis  
suis etiam locis referendis patebit.

17. Idem molitur Launoïus in duabus Epistolis sequenti-  
bus adversus alia duo Scripturæ loca in superiori capite tracta-  
ta; sed cum eandem sequatur methodum, eodem modo  
repellendus est. Nec enim in illis opus est diutius immo-  
rari.

18. Prætermittere tamen non possum, quod ipsemet Lau-  
noïus observat in epistola 7. distributis in quatuor Classes  
Scriptoribus, qui verba hæc; *Et super hanc Petram edificabo Ec-  
clesiam meam*, explicuerunt juxta quatuor varias interpretatio-  
nes. *Et primo quidem*, inquit, *nonnulli Patres, in expositione, seu Clas-  
se prima, & secunda comparant Origenes, Cyprianus, & Hieronymus, qui  
& in quarta: Alii in expositione, seu Classe prima, & tertia, ut Hilarius,  
Ambrosius, Cyrillus, & Leo. Quidam in expositione seu Classe tertia, & qua-  
ta ut Beda. Sed Augustinus in singulis expositionibus prima, secunda, tertia,  
& quarta. Quid ergo colligitur ex varietate interpretationum,*  
quas circa tot Scripturæ sacræ loca, congestis pro unaqua-  
que quampluribus Autoribus, Launoïus distinguit; nisi,  
juxta ipsius regulam, nihil ex iis locis colligi posse; quippe  
cum non sit unanimis circa ea Patrum consensus: juxta ve-  
rò S. Thomæ supra relati regulam, sequitur, Spiritum Sanctum  
plura in eisdem verbis intellexisse, quam possint ab Interpre-  
tibus intelligi, aut exponi? Undè Launoïus nihil efficit,  
allatis variis interpretationibus adversus Theologum, qui  
aliam ab eo prætermittam adducat, nisi aliis omnibus esset  
contraria. Omnibus, dico; quia, si aliquibus congruat,  
& ab aliquibus dissentiat, non erit contra unanimem consensum  
sanctorum Patrum, cui repugnare prohibuit Concilium Tri-  
dentinum. Validior quidem est probatio, quo propius ad  
unanimem consensum Patrum accedit; sed non ideo nulla,  
quia non ita expressè apud ipsorum plurimos invenitur; si  
communibus eorum dogmatibus consonet; si solidis fulcia-  
tur rationibus, si ex sacræ Scripturæ, vel ex traditionis prin-  
ci-



cipiis convenienter deducatur. Si etiam quantum ad sensum novitate non laboret, aliæve concurrant circumstantiæ.

19. Adde quod cum illæ interpretationes mutuò se non destruant (alioquin enim sanctus Augustinus, qui quatuor complexus est, Hieronymus tres, plures alii duas, non solum inter se, sed sibi ipsis contradixissent, quod de talibus, ac tantis viris præsumere non licet, quodque illorum testimoniiis auctoritatem omnem demeret) si una ex illis causæ pitrocinetur, perindè probat Scripturæ testimonium illi suffragari, ac si nulla esset alia explicatio, quamvis non æquè validè, ac si illud in eodem sensu omnes exposuissent. Quid ergò, si & una evidentè faveat, & aliæ lucem afferant, ut hic; *Prima Classis Patrum, & Ecclesiasticorum Tractatorum, quæ est eorum, qui docent Ecclesiam super Petrum adificatam esse, nonne evidentè favet Romanis Pontificibus apud Catholicos, qui contra hæreticos credunt Ecclesiam nunquam corruisse? Quid autem nocet secunda dicentium super Apostolos, vel eorum Successores adificatam esse Ecclesiam? Aut tertia quæ est eorum, qui dicunt super Petram, id est super illam fidem, quam confessus est Petrus, adificatam esse Ecclesiam; Vel quarta scribentium adificatam esse super Petram Christum Ecclesiam.* Hæc enim omnia vera sunt. Nam & Christus primum, & præcipuum Ecclesiæ fundamentum est; & post Christum Petrus; & alii Apostoli post Petrum, ac cum Petro illorum capite: Et fides est fundamentum; & qui fidei custos, ac quæstionum circa eam supremus Judex, fundamentum est. Id luculentissimè testantur sancti Patres, qui vel omnes illas, vel plures simul ex illis interpretationibus secuti sunt. Nec qui unam tantum afferunt, alias excludunt, etiam si secus aliquandò prima facie videatur. Qui enim v. g. solum Christum fundamentum Ecclesiæ vocant, non idè Apostolos negant esse fundamenta. Nam de Apostolis dicit sanctus Paulus ad Ephesios 2. *Estis Cives sanctorum, & domestici Dei, super-adificati super fundamentum Apostolorum;* de Christo autem dicit idem Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod est Christus Jesus.* Est enim Christus præcipuum fundamentum, minus præcipuum Apostoli, quos inter eminet S. Petrus. Sed nonne quatuor Classibus, quas in duabus his Epistolis distinxit Launojus, quintam adjun-



380 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
gere debuit ? Debuiffe videbimus in fequentibus Capitulis.

20. Idem in octava Epiftola, quod in duabus aliis, cum proportione obfervandum. Licet enim varias Classes non ita diftinctè conftituat; tamen à diverfis, quafi à contrariis, plerumque argumentatur; ut cum probat alios Apoftolos à Petro fuiſſe Paſtores, & illis dictum; *Pasce oves meas*; quod quidem veriſſimum eſt. Sed non inde ſequitur Petrum ſupremum non fuiſſe Paſtorem; nam ideò aliis dictum eſt; *Pasce oves meas*, quia Petri, cui uni propriè id dictum eſt, officii, ac muneris participes erant ?

#### C A P U T I V.

*Probatur autoritate Conciliorum Orientalium judicium ſummi Pontificis circa quæſtiones Fidei eſſe irreformabile.*

1. **A**rgumentum optimum ad probandum judicium ſummi Pontificis circa quæſtiones fidei eſſe irreformabile, duci poteſt, ex eo quod nihil unquam à ſummis Pontificibus ſit propoſitum toti Eccleſiæ tanquam fide Divina credendum, in quo à Conciliis Oecumenicis reformandum fuerit eorum judicium; quin etiam eorum ſententia, tanquam ex Petri Cathedra pronunciata, ſemper cum reverentia ſuſcepta ſit. Quid enim credere vetat Spiritum Sanctum, qui per ſeptemdecim ferè ſæcula ſummis Pontificibus res fidei definiendis ſic adfuit, ut eorum judicium à Conciliis Oecumenicis, tanquam fidei omninò conſonum, ſuſceptum fuerit, in poſterum etiam adfuturum, ut irreformabiliter judicent ? Certè periculum mali, quod per tot ſæcula nunquam contigit, non uſque adèd metuendum erat, ut Illuſtriſſimi Epifcopi Gallicani, omiſſis veris, & præſentibus Eccleſiarum ſuarum malis, huic incerto, vel potiùs nunquam futuro, remedium præparare curarent, eo præſertim Eccleſiam univerſam regente Pontifice, qui, ſi quis unquam, maxima  
cum



cum gravitate, patientia, & maturitate res omnes, præsertim arduas, tractat.

2. Scio equidem omnes Hæreticos, aliquos etiam ex Catholicis, quibusdam Pontificibus errores contra fidem tribuere; sed novi etiam eis ab aliis Catholicis, quorum libri omnium manibus teruntur, fuisse optimè responsum; nec defuturos, qui si novum quidpiam objiciatur, illud pari efficacia retundant. Sed de hoc infra recurret sermo. Ut autem ad propositum redeamus, videndum est, quæ se habuerint Concilia, præsertim generalia, & Gallicana, circa judicia summorum Pontificum de rebus fidei.

3. Non utemur Canonibus Concilii primi Nicæni, in editionibus vulgaribus non contentis, & ut aiunt, ex Arabia delatis eorum discussionem criticorum examini relinquentes, ne in suspensionem veniat jus causæ, dubiis probationibus asserat. Cæterum veritas, instar Solis, antequam oculis nostris sese exhibeat, non nihil subobscuræ, non injucundæ tamen lucis præmittit, quæ paulatim crescit usque ad meridiem. Ita licet in antiquis monumentis non adeò clarè luceant veritates, quæ postmodum diligentius investigatæ, atque, ut sese obtulit occasio, accuratius verfatæ, plenam tandem, aut saltem majorem lucem adeptæ sunt: non idèò tamen contemnenda sunt prima earum vestigia, præsertim insignia.

4. In Concilio generali Ephesino anno 431. art. 3. Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus nemine contradicente legationis suæ, ac secum missorum, mandatum in hunc modum exposuit, qui indicat auctoritatem, ac in fide firmitatem à sancto Petro ad ejus successores derivatam; Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quod sanctus, beatissimusq; Petrus, Apostolorum Princeps, & CAPUT, FIDEIQVE COLUMNA, ET ECCLESIAE CATHOLICAE FUNDAMENTVM à Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves Regni accepit, solvendiq; ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, & SEMPER IN SVIS SVCCESSORIBVS VIVIT, ET IVDICIVM EXERCET. Hujus itaque secundum ordinem successor, & locus tenens sanctus, beatissimusq; Papa noster Cælestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit. Quorsum beati Petri mentio, nisi,



382 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
nisi; ut insinuetur, ejus successores eadem pollere autoritate, præsertim dum quæstiones fidei judicant? Quo enim modo FIDEI COLUMNA, ET ECCLESIAE CATHOLICAE FUNDAMENTUM SEMPER IN SVIS SVCCESSORIBVS VIVERET, ET IUDICIUM EXERCERET, si isti toti Ecclesiae possent, proposito errore, casus, ruinæque occasionem præbere?

5. In Art. 2. Firmus Cæsareæ Episcopus dixit; *Apostolica & sancta Sedes Cælestini sanctissimi Episcopi de presenti negotio SENTENTIAM REGULAMQUE PRÆSCRIPSIT, quam nos quoque secuti formam, illam executioni mandavimus, Canonicum, Apostolicumque, iudicium in illum (Nestorium) proferentes.* Vides sententiam Romani Pontificis tanquam regulam præscriptam executioni mandatam, & beatum Petrum, dum iudicia de rebus Ecclesiasticis ore sui successoris pronunciat, humiliter auditum.

6. Sed ne putes singulares tantum Episcopos ita sensitisse, ac dixisse, toto Concilio, saltem suo silentio consentiente, summorum Pontificum, ut beati Petri, sententiam esse suscipiendam: In Concilio generali Chalcedonensi Art. 2. lecta epistola sancti Leonis Papæ ad Flavianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, in qua Eutychemis doctrinam, ut hæreticam damnabat, & fidei orthodoxæ normam præscribebat, Reverendissimi Episcopi clamaverunt; *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema est, qui ita non credit.* PETRVS PER LEONEM ITA LOCVTVS EST, &c. Sed inquit ita clamatum est, quia revera Episcopi, sancti Leonis doctrinam cum recta fide consentire, iudicarunt; hinc tamen regula generalis constitui non potest. Certè hoc, ut supra insinuavi, parum non est, quod in hoc, & in reliquis Conciliis generalibus, sententia summorum Pontificum de rebus fidei toti Ecclesiae pronuntiata, ut orthodoxa suscepta fuerit. Verum hunc iudicii Romani Episcopi cum fidei consensum, non eruditioni sancti Leonis, sed ejus dignitati tribuendum, id est lumini Spiritus Sancti, beato Petro, ejusque successoribus, ne deficeret eorum fides, à Christo impetrato, non solum ultima illa verba, PETRVS PER LEONEM LOCVTVS EST, significant; sed etiam Synodica ad sanctum Leonem epistola, ubi Concilium eum FIDEI CRYSTODEM, & SANCTI PETRI INTERPRETEM appellat, quam, in-



inquit de fide loquens, *ex præcepto Legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti*, VOCIS BEATI PETRI OMNIBVS CONSTITVIVS INTERPRES. Non est supervacaneum pronomen, *ipse*: indicat enim Romanum Pontificem specialiter esse vocatum à Christo Fidei Custodem; *Et VOCIS BEATI PETRI OMNIBVS CONSTITVIVM INTERPRETEM*: Statim autem Concilium profiteatur se, sancto Leone Autore, Antistite, sive Præside, ea enim est vocis Græcæ significatio, veritatem fidelibus ostendisse. *Unde & nos te ut DVCEM utiliter habentes Ecclesia filiis hereditatum, sententiæ veritatis ostendimus. . . . . quibus tu quidem sicut membris CAPVT præras, in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferas.* in tertia part. act. Concil. Chalced. cap. 2.

7. Eam Romani Pontificis dignitatem, & autoritatem generatim explicat beatus Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas litteris ad Eutychem in 1. par. Act. ejusdem Concilii exscriptis; *Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, PRÆSTAT QUÆRENTIBVS FIDEI VERITATEM.* Quomodo vivit & præsidet in propria Sede, nisi quia, ut supra notavimus, ejus successor, in fidei veritate toti Ecclesiæ exponenda, indeficienti gaudet, sicut ille Spiritus Sancti auxilio, & ductu, *ET PRÆSTAT QUÆRENTIBVS FIDEI VERITATEM.*

8. Agatho Papa suum de rebus fidei judicium, etiam ante Concilii universalis acceptionem, irreformabile esse non dubitabat; quandoquidem Legatos ad Concilium sextum generale mittens in secunda quam ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, ejusque fratres Heraclium, & Tiberium scripsit epistolâ, quæque in Act. 4. Concilii recitata fuit, audacter, ac securè pronunciat, se suis Legatis mandasse, non ut quæ ipse cum suo Concilio declaraverat, tanquam dubia, & incerta examinarentur, sed ut certa, & immutabilia publicarentur. *Personas, inquit, prævidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa, atque immutabilia compendiosâ definitione proferre.* Mox condemnationis sententiam profert in eos, qui traditæ à se doctrinæ contradicerent; *Qui verò hæc confiteri voluerint, ut infestis Catholica, atque Apostolica confessioni perpetua condemnationis reos, esse censemus.* Quis ita nisi vel imprudentissimus, vel de suæ veritate sententiæ certissimus, loqui audeat, à  
Con-



384 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Concilio Oecumenico, si falsa proferret, vel iniusta, mox redarguendus? Numquid autem summus ille Pontifex Concilio visus est nimiam sibi tribuisse autoritatem? Ejus doctrinam non solum ut veram, sed etiam tanquam à Spiritu Sancto dictatam, & à Beato Petro prolatam se suscipere declaravit, primò Dometius Episcopus Prusianos his verbis; *Suggestioni directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolica, & principalis Sedis antiquæ Romæ, TANQVAM EX SPIRITV SANCTO DICTATAS per os sancti, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digno prædicti beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio.* Totum deinde Concilium sententiam Agathonis in prædicta Epistola contentam amplexum est, & Marcharium Patriarcham Antiochenum eam admittere reculantem deposuit.

9. In prima verò Epistola docet apertissimè Agatho, Ecclesiam Romanam, non solum in fide non deficere, sed ejus etiam esse, reliquas omnes in fide confirmare. *Spiritalis veri Ecclesie (inquit loquens de beato Petro) ab ipso Redemptore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit: cujus amittente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflecta est, cujus autoritatem, utpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secuta sunt, omnesq; venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesie Christi lumina claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæreticam autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis infecuti. Et quibusdam interjectis; Hæc est enim VERÆ FIDEI REGVLA, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit. Sed ut ab exordio fidei Christiana percipit ab Autoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibatâ fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in Sacris Evangeliiis satus est: Petre, Petre, inquit, Ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: EGO AVTEM PRO TE ROGAVI, VT NON DEFICIAT FIDES TVA; ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam* De-



Dominus, ac Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare cum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices mea exiguitatis Prædecessores, confidenter FECISSE SEMPER cunctis est cognitum. Non ergo pro solo Petro, sed & pro Petri successoribus rogavit Christus, ne deficeret eorum fides, ut scilicet possent fratres confirmare, si quando in fide vacillarent.

10. Utramque autem epistolam quomodo exceperit Concilium, testati sunt non solum singulatim aliqui Episcopi, sed ipsummet Concilium universum, non solum nihil adversus testimonia in favorem sanctæ Sedis prolata excipiens, sed & submissionem significans his verbis; *sancta, & universalis Synodus suscipiens, & EXPANSIS MANIBVS AMPECTENS tam suggestionem, quæ à sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est. . . . . adæque complexa est & alteram synodalem suggestionem, quæ missa est à sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo, ac beatissimo Papa, &c.* In epistola ad eundem Agathonem; *Tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, STANTI SVPER FIRMAM FIDEI PETRAM, libenter perlectis veræ confessionis litteris à vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut à summo Apostolorum vertice DIVINE PERSCRIPTAS AGNOSCIMVS, per quam exercitam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus. Confer ista cum iis, quæ suprâ ex aliis Conciliis retulimus, & observabis quantum inter se concordent in veneranda fidei beati Petri soliditate, ejusque in successoribus illius Apostoli Romanis Pontificibus agnoscenda continuatione. Sed progrediamur ulterius, ut veluti perpetua texatur traditionis series.*

C A P U T V.

*Idem aliorum probatur autoritate Conciliorum, & Episcoporum.*

1. Quanto cum applausu excepta sit doctrina Adriani I. Papæ in epistolis ad Imperatorem, & ad Patriarcham Constantinopolitanum scriptis, in actis septimæ Synodi anno 787. habitæ videri potest, scilicet Act. 2. in qua lectæ sunt.

C c c



386 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
sunt. Continent autem etiam illæ epistolæ sanctæ Sedis in di-  
rimendis de fide controversiis prærogativæ testimonia. In  
prima habentur hæc verba de beato Petro, & ejus Sede; *Iste  
itaque tam præcelsæ prælati honore promeruit confiteri fidem, supra quam fun-  
datur Ecclesia Christi. Beatam Confessionem beatitudo secuta est præmium,  
cujus prædicatione sancta universalis illustrata est Ecclesia, & EX EA CÆ-  
TERÆ DEI ECCLESIAE FIDEI DOCUMENTA SUMPSERVNT.*  
Nam ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolica Sedis primitiis  
præsedat, sui Apostolatus Principatum, ac Pastoralis cura, successoribus suis,  
qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessari sunt, dereliquit; Quibus & au-  
toritatis potestatem, quemadmodum à Salvatore nostro Domino Deo ei concessa  
est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit Divino jussu successoribus Ponti-  
ficibus. In eodem Concilio act. 2. Joannes sanctissimus Episco-  
pus Tauromaniæ dixit: *cum veluti Divinus ORTHODOXIE TER-  
MINVS (sive Divina definitio) sint litteræ, quæ ab Adriano Papa  
senioris Romæ ad pios Imperatores nec non, & ad Tarasium universalem Patriar-  
cham nostrum missæ sunt, ita profiteor.*

2. Nicolai I. & Adriani II. judicium de Photio, & de fa-  
cricis Imaginibus doctrinam secuta est octava Synodus, ad  
quam nemo admissus est, quin professioni fidei ab Adriano  
missæ subscripserit, in quæ hæc continentur, *quia non potest  
Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis; TV ES PETRVS,  
ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.*  
Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica im-  
maculata est semper reservata Religio, & sancta celebrata doctrina. Ab hujus  
ergo fide, atque doctrina separari minime cupientes, & Patrum, & præcipue  
Sanctorum Sedis Apostolicæ Prasulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis. Quomodo autem prædicta  
Synodus octava summorum illorum Pontificum amplexa sit  
constituta, declarant hæc ejus verba, Can. 2. *Obedite præpositis  
vestris tanquam rationem reddituri, Paulus magnus Apostolus præcipit. Itaque  
beatissimum Papam Nicolaum TANQVAM ORGANVM SANCTI SPI-  
RITVS HABENTES, necnon & sanctissimum Adrianum Papam successorem  
ejus, &c. Concilia Oecumenica summum Pontificem tanquam or-  
ganum sancti spiritus habent. Antistites Gallicani ejus judicia re-  
formabilia esse decernunt.*

3. In Concilio Lugdunensi anno 1274. Imperator Græcorum & per Epistolam, & per Nuncium juravit, se Catholi-  
cam,



cam, & Orthodoxam fidem acceptare, profiteri, ac servare velle. PROUT, inquit, EAM VERACITER TENET, fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia.

4. Concilium Lateranense sub Innocentio III. vocat Ecclesiam Romanam Matrem, & Magistram omnium fidelium. Possent omnes fideles in errorem induci, si erraret Magistra, quam tenentur audire.

5. Clemens V. Clementinâ de summa Trinitate, & fide Catholica §. Nos igitur docet, quod ad Apostolicam considerationem duntaxat hæc (quæ in Scripturis obscura sunt) declarare pertinet; Quod etsi dixerit Concilio Oecumenico, Viennensi scilicet, Præsident; Necessitatem tamen Concilii non induxit, sed potius exclusit, particula illa, duntaxat. Ut autem à Conciliis generalibus ad Gallicana descendamus.

6. Cui unquam ex antiquis Episcopis Gallicanis venit in mentem, non esse irreformabile sanctæ Sedis iudicium, donec à Concilio Oecumenico confirmatum, aut ab Ecclesia universa fuisset acceptatum? Et Episcopi singuli, & eorum Cœtus, sive Concilia illud tanquam indubitatum fidei normam populo proponebant. Hac regula Concilium Arausicum II. anno 529. Fauſti Regentis errores confutavit, & veritatem orthodoxam declaravit. *Id nobis, ita præfantur Episcopi, secundum admonitionem, & auctoritatem Sedis Apostolica justum, ac rationabile visum, & pauca Capitula AB APOSTOLICA SEDE NOBIS TRANSMISSA, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causâ collecta sunt ad docendos eos, qui aliter quam oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris scribere deberemus. Quibus locis, qui hucusque non sicut oportebat de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholica conveniunt, animum suum inclinare non differat. Contradicere quidem superiorum declarationi, nisi evidenter falsæ, non licet. At verò animum suum nemo tenetur inclinare, nisi in obsequium fidei. An ergo Conciliis Provincialibus, an auctoritati Papæ debetur, ut fideles animum inclinent ad ea, quæ definiuntur? Vide notas Severini Bini in hanc præfationem.*

7. Sanctus Avitus Episcopus Viennensis anno 517. non suo solius, sed & omnium Episcoporum Galliæ nomine, protestatus est Hormisdæ Papæ, se ejus sententiæ in materia



388 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ria fidei adhæsurum. Quia, inquit, jam securus, non dicam de Vien-  
nensi, sed de totius Gallia devotione polliceor, OMNES VESTRAM SVPER  
STATV FIDEI CAPTARE SENTENTIAM. Orate, ut sic nos præ-  
dicatorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas  
comperta non separat.

8. Ravennius, aliisque Episcopi Gallicani in Epistola Sy-  
nodica ad S. Leonem Magnum pluribus testati sunt, quanti  
facerent ejus circa dubia de fide, sententiam, etiam ante-  
quam Concilii generalis Chalcedonenfis consensus accessisset;  
Quo, inquit, Apostolatus vestri scripta ita, & Symbolum fidei, quisquis  
Redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenet,  
quo ad confutendos Hæreticorum errores paratior sit, memoria commenda-  
rit . . . . . Doctrina post Deum vestra debet quisque fidelis, ut constanter te-  
neat, quod credebat: Debet etiam infidelis, ut à perfidia sua, agnita veritate  
discedat, & APOSTOLICÆ INSTITVTIONIS LUCE PEREVSVS  
erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, quod per os  
vestrum Dominus noster Iesus Christus de Sacramento Incarnationis sue docet,  
quam id teneat, quod Diabolus humana salutis, & veritatis inimicus infla-  
lat. Post epistolam 51. S. Leonis.

9. Cerecius Salonius, & Veranus Episcopi Gallicani ean-  
dem erga sancti Leonis epistolam reverentiam professi fuerant  
his verbis; Illa specialis doctrina vestra pagina ita per omnium Ecclesiarum  
conuenticula celebratur, ut verè consona omnium sententia declaretur; merito  
illuc Principatum Sedis Apostolica constitutum, unde adhuc Apostolici spiritus  
oracula reseruentur. Post epist. 98. S. Leonis.

10. Concilium Turonense II. anno 570. Can. 21. suam  
erga sanctæ Sedis Decreta observantiam significat his ver-  
bis; Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica præ-  
cesserunt, agere præsumat . . . . . & quorum Auctoriam valere possit præ-  
dicatio, nisi quod Sedes Apostolica semper aut intronisi, aut apocryphos fecit?  
Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepti auctoritas.  
Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, VEL PAPA  
INNOCENTIVS statuit, in Canonibus nostris inserentes statuimus obser-  
vandum, &c.

11. Quam huic antiquorum Gallorum reverentiæ erga  
sanctæ Sedis de fide oracula concordaverint; eorum posteris  
usque ad extrema tempora; in illorum historiis licet obser-  
vare, nec non in Gallicanorum Conciliorum monumentis  
à Pa-



à Patre Jacobo Sirmondo collectis, iterumque in sequentibus capitibus demonstrabitur.

12. Interim tamen animadvertendum est cæteras Nationes in ea obedientia Gallis non cessisse. De Italica nemo dubitat, de Ecclesia Africana, quæ à Gallis in exemplum tam libenter assumitur, dicemus inferius. De Hispanica præter ea, quæ in primo libro retulimus, libet Epistolæ Concilii Tarracoenensis ad Hilarium Papam scriptæ, ac in Concilio Romano lectæ anno 465. principium, & finem exscribere. Etsi nulla extaret (inquit Episcopi Tarracoenensis Provinciæ cum suo Metropolitano) necessitas Ecclesiastica disciplina, expectandum re vera non fuisset illud privilegium sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus post Resurrectionem Salvatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicationis universorum illuminationi prospexit: cujus Vicarii Principatus, sicut enim, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde vos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus, Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Queruntur postea de Sylvano Episcopo Calaguræ, ejusdem Provinciæ, quod multa patraisset, postponens Patrum regulas, & Romani Pontificis instituta, denique contra vetustatem Canonum, contra Synodi constituta. (Hanc enim veras Ecclesiæ libertates sartas rectas servari cupiebant). Concludunt in hunc modum; Proinde quia his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurrere: quæsumus sedem vestram, ut quid super hac parte observare velitis, APOSTOLICIS AFFATIBVS INSTRVAMVR quatenus fraternitate collectâ, prolatis in medium veneranda Synodi Constitutis contra rebellionis spiritum vestra autoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore & ordinato fieri intelligere, Deo adiuvante, possumus. Erit profecto vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesia, si novellæ hæreticæ seminaria fuerint extirpata.

13. Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis epist. 97. edit. P. Lupi. Omnibus Episcopis Angliæ, quorum erat Primas scripsit; Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, & FONTEM CATHOLICÆ DOCTRINÆ ambigit esse? Quis claves Regni Cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne IN FIDE, ET DOCTRINA PETRI, totius Ecclesiæ structura consistit, donec occurramus omnes Christo in vitam perfectam, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? . . . . . Quicumque



390 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
que sit, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui  
plantavit in fide Petri, & doctrina ipsius acquiescit. Sanè ad eum maxima  
populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, &c.

## C A P U T VI.

*Probatnr sanctorum Patrum, ac primò à sancti Irenæi  
autoritate, certitudo iudicii summi Pontificis in  
questionibus Fidei.*

1. **Q**uoniam Illustrissimi Antistites Gallicani libertatum  
suarum fundamenta, non solum Sacris Canonibus,  
sed etiam Patrum traditione, niti volunt; postquam Con-  
cilioꝝ testimonia protulimus, exhibenda est sanctorum  
Patrum doctrina, in qua generatim tria potissimum nota-  
nda sunt (ne sæpius repetere cogamur): quamvis non omnia  
semper in singulis testimoniis occurrant. Primum, Ecclesiam  
Romanam esse unitatis centrum, quò concurrentium sit ad  
vitanda schismata. Secundum; illuc confugiendum, quan-  
do dubia, præsertim difficiliora, oriuntur circa fidem; &  
hinc veritatem fidei ab Apostolis traditæ addiscendam. Ter-  
tium; has sanctæ Sedis prærogativas auctoritati beato Petro  
à Christo impetratæ, & collatæ, necnon ejusdem auctori-  
tatis ad beati Petri successores transmissioni, non autem ac-  
cedenti Ecclesiæ consensui, tribuendas; atque ad eò Christum  
non pro solo Petro, sed pro ejus etiam successoribus Roma-  
nis Pontificibus rogasse, ut non deficeret fides eorum; ac  
si qua emergat, præsertim circa fidem, contentio, in petra  
illius firmitate stare debere, quicumque voluerit casum devi-  
tare; illi petrae incumbere, qui intra Ecclesiam super il-  
lam ædificatam permanere cupierit; ab hærede Petri confir-  
mandos, qui à Sathana fuerint expetiti, & contra fidem  
tentati.

2. Schisma est, ut docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 39.  
art. 1. cum à summo Pontifice receditur: in schismate autem  
non est fides, ut tradit S. Ambrosius §. 10. referendus: ut  
ergo & schisma, & hæresis periculum vitentur, adhæren-  
dum



um est summo Pontifici; *Ecclesia unitas*, inquit S. Thomas, in duobus attenditur, scilicet in conexione membrorum Ecclesie ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesie ad unum Caput. . . . . hoc autem Caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex; & ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesie ei subiectis communicare recusant. Sed quorsum sancti Patres tam diligenter monent vitandum esse schisma. Nam si Romani Pontifices in eodem, quo alii periculo erroris versantur, longè præstaret illis non tam arctè conjungi. Quid enim, si, ut p se creduntur, revera fallantur; nonne illos sequi perniciosum erit?

3. Quomodo certi, ac securi erunt in fide summo Pontifici adherentes, si summus ipse Pontifex labilis sit? Philosophorum axioma est; quidquid multiplex, varium, incertum, inconstans est; debere ad aliquid reduci, quod sit simplex, uniforme, certum, ac constans. Si igitur Episcopi dissentiant inter se circa veritatem fidei, adeoque ab invicem separentur, quâ poterit regulâ discerni, à quorum partibus stet veritas, & apud quos sit vera Ecclesia; nisi summus Pontifex immobile sit unitatis, & communionis centrum, fidelissimus veritatis Custos, firmum Ecclesie fundamentum, & sanum mystici Corporis Christi Caput, cui qui communicet, & consentiat, Catholicus judicetur? sed ad sanctorum Patrum doctrinam accedamus.

4. Ad eò est insigne testimonium sancti Irenæi, ad probandam summi Pontificis in solvendis fidei quæstionibus auctoritatem; ut vel solum declarationi Comitiorum Cleri Gallicani præponderet, atque ad certam fidem faciendam penè sufficiat. Si enim testis probitatem spectes, Sanctus est, fidei zelo flagrantissimus, dignusque, qui cum omnibus ferè civitatis suæ Christianis glorioso Martyrio vitam clauderet: si ætatem, est omnium Patrum Latinorum antiquissimus (licet ex ejus stylo aliqui eum Græcè scripsisse conjiciant, alii utroque idiomate suspicentur) Episcopus Lugdunensis jam anno 180. si scientiam, ab Apostolorum discipulis, præsertim à beato Polycarpo Divinas traditiones edoctus: si locum, atque ordinem, in celeberrima Galliarum Civitate Antistes, atque ad eò omnium, quæ in illis partibus erant, Christiana-



392 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Christianorum sententiæ conscius : si testimonium ipsum inspicias, luculentum judicabis.

5. Sic enim Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 3. traditionem Ecclesiæ opponens hæreticis, ait; *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maxima, & antiquissima; & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Roma fundata, & constituta Ecclesia, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, hoc est, eos, qui sunt undique fideles. IN QUA SEMPER AB HIS, QUI SVNT VNDIQUE CONSERVATA EST EA, QUÆ EST AB APOSTOLIS TRADITIO.*

6. Unica statim occurrit difficultas, quod scilicet S. Irenæus non de solo summo Pontifice, sed de Ecclesia Romana loquatur. Verum hoc discrimen nihil Episcopos Gallicanos juvat, qui ut Papæ judicium irreformabile sit, non solum Ecclesiæ Romanæ particularis, sed Ecclesiæ universæ consensum requirunt. Equidem si res eò reducatur, ut summi Pontificis Decreta circa fidem indubitata futura sint accedente solius Ecclesiæ Romanæ consensu, facilius schismatibus via præcludetur, cum omnino prompta sint ejus membra ad sequendum Capitis sui ductum. Adde quod si concedatur Ecclesiæ Romanæ prout ab aliis Ecclesiis particularibus distinguitur, privilegio non errandi esse præditam; non erit operosè laborandum, ut demonstretur quidquid habet Ecclesia Romana vel dignitatis, vel autoritatis, totum à Capite, summo scilicet Pontifice, in alia membra effluere; ut ex iis patet, quæ jam contra Launoium disputata sunt.

7. Nec opus erit ad B. Cypriani autoritatem recurrere, qui Ecclesiam in Episcopo esse scribit ad Florentium Pupianum epist. 69. edit. Pamel. ut Ecclesiam Romanam in Romano Pontifice continere dicamus: sanctus ipse Irenæus in verbis supra relatis satis insinuat, quæ Ecclesiæ Romanæ tribuit, ipsi propter successionem episcoporum à B. Petro in-

choa-



choatam competere; *A gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundata, & constituta Ecclesia, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, &c.* Idem continuo post verba supra exscripta. B. Petri successores singulatim enumerat.

8. Observandum est autem ex mente sancti Irenæi ad statuenda contra Hæreticos fidei dogmata, solam Ecclesie Romanæ traditionem sufficere, nec omnino esse necessarium aliarum Ecclesiarum traditiones inquirere, licet utile sit, cum id commodè fieri potest, ad opprimendam Sectariorum pertinaciam; *Sed quoniam inquit, valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maxima, & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Roma fundata, & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet colligunt, id est separatim ab Ecclesia universalis conventicula faciunt, seseque congregant. Sed, si summi Pontificis, seu Ecclesie Romanæ, iudicium non est irreformabile, quomodo indicatâ ejus traditione confundentur omnes hæretici? Non erit satis continuatam à S. Petro usque ad nos Episcoporum successionem ostendere, atque quid tradant Principis Apostolorum successores, exhibere, nisi accedat Ecclesie universæ consensus, & demonstraretur similiter Episcoporum omnium aliarum Ecclesiarum successio, atque accepta per illos ab Apostolis traditio.*

9. Sed dixerit quis non solius Ecclesie Romanæ, sed & cujuslibet alterius traditio indubitatae fidei esset, si constaret eam ab Apostolis descendisse. Quis enim hæreticus audeat, certum Apostoli cujusvis testimonium recusare? Ita sane; atque hinc colligitur S. Irenæum non reposuisse vim vincendorum hæreticorum, in eo solo, quod Apostoli Petrus, & Paulus contrariam doctrinam tradiderint, sed in eo etiam quod certissimum sit Petri successores esse, qui eam nobis traditionem communicant. Alioquin enim quid opus fuisset illius successionis in Episcopatu seriem tam accuratè



394 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
texere? Cur non potuissent alii, quam illius Apostoli successores, testes adhiberi? Quia inquires, verisimilius est, ut notat S. Irenæus, Apostolos Arcana fidei suis successoribus concedituros. Valet quidem hæc ratio in B. Petro, qui Coadjutores habuisse dicitur illos, qui ei successerunt. Sed id in subsequens locum non habet; quippè cum sæpius ignorarint, qui sibi essent successuri.

10. Adde quod eadem ratio militaret pro Ecclesia Antiochena, in qua primùm sedit B. Petrus, & in qua successorem suum ipse constituit; & pro Alexandrina, quam per B. Marcum fundavit; Imò pro qualibet alia, cum nulla sit quæ vel immediatè, vel mediatè fundata non fuerit ab aliquo ex Apostolis, quibus omnibus dixit Christus. Joan. 15. v. 15. *Omnia quaecumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Sumitur quidem veritatis argumentum ex illa Episcoporum jam ab Apostolis propagatione; sed certitudo à solius Petri successorum serie, vel à tota Episcoporum ab Apostolis descendentium collectione; non autem à cujusvis alius singularis Episcopi, præter Romanum, testimonio.

11. Sanctus Irenæus solius Ecclesiæ Romanæ traditione indicatâ, censet confundendos hæreticos, causamque affert; *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt undique fideles. Quomodo si ad Ecclesiam Romanam omnis Ecclesia, & omnes undique fideles convenire teneantur, & ab ea decipi possent, non sequeretur totam Ecclesiam in errorem induci posse. Non enim illuc convenire tenentur, nisi ut doceantur, non docentur, nisi ut discant, & credant.*

12. Apertiùs significat idem S. Episcopus causam, cur ad Ecclesiam Romanam, omnem Ecclesiam, omnesque fideles convenire oporteat, eam esse; quod scilicet ibi semper conservata sit traditio Apostolica pro universa Ecclesia, seu pro omnium omninò instructione. *In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

13. Quod comprobatur propositum à S. Irenæo Corinthiorum exemplum. Licet enim Corinthi Ecclesia à B. Paulo fundata, & docta fuisset, ejusque adhuc recens esset memoria, dissenserunt tamen inter se Corinthii circa veritatem ab ipso tradi-



traditam. Quare necesse illis fuit ad Ecclesiam Romanam, utpotè fidelissimam Apostolicarum traditionum custodem, pro cunctorum informatione recurrere. *Dissentione non modicâ inter eos, qui Corinthi essent, fratres, factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclesia, potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & annuntians, quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem. Si Apostolicis temporibus viciniore, de ea, quam in recenti ab Apostolis receperant traditione, ambigentes ad concordiam nonnisi per Sedem Apostolicam revocati sunt, quanto magis qui longius ab Apostolica origine recesserunt, ut unitatem fidei custodiant ad illud unitatis centrum convenire indigent, ei que firmiter adhærere?*

14. Tribuuntur autem Ecclesiæ Romanæ litteræ ad Corinthios missæ, licet à S. Clemente scriptæ sint, ut tradit Eusebius histor. Eccles. lib. 3. cap. 12. his verbis, *hujus vero Clementis una fertur esse epistola, omnium judicio approbata, illustris illa quidem, & digna plane admiratione, quam TANQVAM EX ROMANÆ ECCLESIAE PERSONA ad Corinthiorum Ecclesiam tum quidem exaravit, cum jam Corinthi gravis esset inflata seditio. Hanc sanè cum veterum, tum nostrâ ipsorum memoriâ plurimis in Ecclesiis publicè lectam, usurpatamq; cognovimus. Idèd igitur à S. Irenæo dicitur, scripsit quæ est Romæ Ecclesia; quia S. Clemens scripsit, tanquam ex Romane Ecclesiæ persona. Ita S. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 25. de S. Clemente ait; scripsit ex persona Romane Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valdè utilem epistolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur. Non, quòd Pontifex esset tantùm ab Epistolis, aut à secretis Ecclesiæ Romanæ, sed quia licet penes ipsum esset autoritas, res tamen nonnisi præmissâ consultatione decerneret.*

15. Itaque S. Irenæus, dum ait, quod ad hanc Ecclesiam propter potentiorē principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, non solum quid ipse sentiret, sed etiam quid traditio à temporibus Apostolorum faciendum doceret, declaravit. Ecclesia enim Corinthi ad Ecclesiam Romanam recurrerat, tanquam ad unitatis centrum, ut hinc peteret divisionis suæ remedium, & Apostolicam traditionem certò edisceret. Nam antequam sanctus Clemens Corinthiis scriberet potentissimas litteras, ad pacem eos congregans, & reparans fidem,



396 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
eorum, consultus fuerat à Corinthiis, ut docent illæ litteræ,  
quas publicæ luci restituit Patricius Junius Scoto-Brittan-  
nus: in iis enim excusat Clemens suam in respondendo tar-  
ditatem; *Propter calamitates, & casus adversos, qui nobis acciderunt,  
Fratres dilecti, postulatis vestris tardius nos animum adiecisse veremur.*

16. Quantâ verò cum reverentiâ excepta sit sancti Pon-  
tificis responsio, animadvertere licet in verbis Eusebii, ac sancti  
Hieronymi supra relatis, siquidem adhuc eorum tempore,  
idest post tria sæcula publicè in Ecclesiis legebantur ejus litte-  
ræ, quas verè sanctus Irenæus appellavit potentissimas, tum  
propter eam, quam continent doctrinam, tum propter scri-  
bentis potentiorē principalitatem.

17. Ad sanctum Anicetum Romanum Pontificem simili-  
ter, ut testatur idem sanctus Irenæus in epistola, cujus frag-  
mentum refertur ab Eusebio lib. 5. histor. Eccles. cap. 24.  
recurrat Asiatica Ecclesia pro quæstione de die celebrandi Pas-  
chatis, licet non perinde illius responsis acquieverit; quod  
tamen facere debuisset comprobavit eventus receptâ à Conci-  
lio generali Nicæno, ac tandem à tota Ecclesia, Sedis Aposto-  
licæ sententiâ. Omni denique tempore ad hanc Ecclesiam  
propter potentiorē principalitatem omnis convenit Eccle-  
sia. Omnes illa ubique Christianos curavit, ad pacem con-  
gregans, & reparans fidem eorum.

## C A P U T VII.

*Aliorum Patrum eadem de re testimonia.*

1. **A** Beato Hyppolito Episcopo, & Martyre, qui circa  
annum 230. obiit, oratione de consummatione Mun-  
di dicitur *Princeps Petrus, FIDEI PETRA, quem beatum iudicavit  
Christus Deus noster, ille DOCTOR ECCLESIAE, ille primus Discipulo-  
rum, ille qui REGNI CLAVES HABET, &c.* Si ut indubitatum  
est. Romanus Pontifex Petri officio successit, cur etiam ip-  
se non erit *fidei Petra, Doctor Ecclesia, Regni claves habens?*
2. Sanctus Basilius Magnus epist. 52. quæ est ad S. Atha-  
nasium, quanta sit Episcopi Romani autoritas in decidendis  
fidei quæstionibus, & in corrigendis quæ perperam à Con-  
ciliis



ciliis generalibus gesta sunt, his verbis significat; *Visum est nobis consentaneum, ut scribatur Episcopo Romano, ut qua hic geruntur, consideret, & sententiam suam exprimat: Et quoniam difficile est, ut communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse SVA AVTORITATE IN ISTA CAUSA VSUS VIROS eligat . . . . . omniaq; secum habentes, qua in Arimino facta sunt, ad ea rescindenda, que illic per vim, & violentiam gesta sunt . . . . . Quæritur autem, & hoc a nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur, necessario ut Marcelli hæresim illi cum venerint, tanquam malam ac noxiam, & à sana fide alienam exterminent. Non putabat sanctus Basilius ad stabiliendam fidem opus esse Concilio generali, quod congregari non posse videbat (Difficile est ut communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur) postulandum tantum censeret ut Romanus Pontifex sententiam suam exprimat . . . . . Ipse sua auctoritate, ut in ista causa, scilicet Concilii Ariminensis, usus viros eligat, &c. ut Marcelli hæresim illi cum venerint, tanquam malam, & noxiam, & à sancta fide alienam exterminent. Conqueritur quidem acerbe S. Basilius de Episcopis Occidentalibus, etiam de Romano Pontifice in alia epistola, de modo scilicet agendi. Cæterum enim hujus auctoritatem & sanctus Basilius, & alii Episcopi Orientales summè venerabantur, ut ex epist. 74. ejusdem sancti Patris evidens fit. Sic enim de Eustathio Episcopo Sebasteño scribit. *Qua verò sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio præposita, & ad qua consenserit, nobis clam est: nisi quod Epistolam attulerit, per qua restituere: Eam ubi Tyana Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.**

3. Sancto Basilio conjunctissimus sanctus Gregorius Nazianzenus, carmine de vita sua perseverantiam Ecclesiæ Romanæ in fide, à qua Constantinopolitana exciderat, tribuit dignitati Capitis, veterem Romam sic novæ opponens;

*Fides vetustæ recta erat jam antiquitùs,  
Et certa perstat nunc item nexu pio  
Quodcumque labens sol videt, devinciens:  
Ut univèrsi Præsident mundi decet,  
Totam colit quæ numinis concordiam.  
Nova verò quondam (de mea jam non mea,  
Nunc sermo nobis) RECTI-PES ERAT IN FIDE,  
At non item post merfa sub letho gravi.*



Oratione autem 26. super Petrum fundatam Ecclesiam tradit. *Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus, & excessis, atque electione dignis hic Petra vocetur, atque Ecclesia fundamenta in fidem suam accipiat. Quamobrem orat. 7. vocat cum Ecclesiae columen, quod conseruandae inconcussae Ecclesiae Dei officium significat.*

4. S. Optatus Episcopus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum supradicta confirmat. *Cathedra, inquit, una est, & negare non audes scire te Petro primam in urbe Cathedram esse collocatam, ubi sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo una Cathedra unitas ab omnibus seruetur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus, & peccator esset qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra una est, quae est prima de deo. In ea sedet primus Petrus, probat autem Donatistas clauibus carere, eo quod Petri Cathedrae aduersarentur, claves legimus accepisse Petrum, Principem scilicet nostrum, cui à Christo dictum est; Tibi dabo claves Regni Caelorum, & porta inferorum non vincunt eas. Unde est ergo quod claves Regni vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris presumptionibus, & audacijs, sacrilegio militatis? Lib. 1. dixerat, Caecilianus omnium supra memoratorum sententijs innocens est pronuntiatus, etiam Melchiadis sententia, QVA IUDICIUM CLAVSVM EST. Quae quidem verba sic interpretatur Illustrissimus Gabriel de Laubespine Episcopus Aurelianensis; Quasi diceret etiam à summo Pontifice absolutus, POST CUIVS IUDICIUM DE CAECILIANI INNOCENTIA NON EST DVBITANDVM.*

5. Sanctus Ambrosius duo docet notatu dignissima; Primum; Catholicitatis, ut ita dixerim notam esse consensum cum Romana Ecclesia: Alterum, fidem non esse in schismate, quod, ut capite superiori ex Divo Thoma ostendimus, non consistit in sola separatione ab universo Ecclesiae corpore, sed etiam in divisione à capite; Inde (à Romana Ecclesia) in omnes, veneranda communionis iura dimanant, inquit Concilium Aquileiense in epist. Synodic. quae est 4. inter epist. S. Ambrosii. Sic igitur scribit S. Ambrosius in libro de obitu Satyri fratris; *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi verae fidei gratiam, percontatusque, ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret, & forte ad id locorum in schismate Religionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis*



communione dividerat, & quamquam pro fide exulasset, & fidei sua reliquis-  
 si heredes, non putavit tamen fidem esse in schismate. Sermone autem  
 62. de temp. seu in Evang. Dom. 4. post Pentecost. insinuat  
 firmitatem in fide à Christo per Magisterium Petri Ecclesiæ  
 conferri, dicitur Petro duc in altum, hoc est in profundum disputationum  
 generationis Divina. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad  
 Dominum: Tu es Christus filius Dei vivi? ..... HANC IGITUR SO-  
 LAM ECCLESIAE NAVEM ASCENDIT DOMINUS, IN QVA  
 PETRUS MAGISTER EST CONSTITUTUS, dicente Domino: SV-  
 PER HANC PETRAM ADIFICABO ECCLESIAM MEAM. Libro  
 autem 4. de fide ad Gratianum cap 3. ita Petrum Ecclesiæ  
 Præpositum à Christo docet & Ecclesiæ firmitatem cum Ec-  
 clesiæ firmitate conjunctam, ut ad eam conjunctionem sig-  
 nificandam Petri nomen institutum fuerit. Habes in Evangelio,  
 quod Petro dixit: rogavi pro te ut non deficiat fides tua: eidem autem supra  
 dicenti: Tu es Christus filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, & super  
 hanc Petram adificabo Ecclesiam, & tibi dabo claves Regni Cælorum. Ergo  
 cui propria autoritate Regnum dabit, hujus fidem firmare non poterat? Quem  
 cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit.

6. Sanctus Hieronymus epist. 57. sic scribit ad Damasum  
 Papam; Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indisci-  
 son Demini tunicam, & desuper textam minutatim per frustra discerpit, &  
 Christi vineam exterminat vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non  
 habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit in-  
 telligi. Ideo mihi CATHEDRAM PETRI, ET FIDEM APOSTO-  
 LICO ORE LAUDATAM CENSVI CONSVLENDAM. Inde nunc  
 mea anima postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi .....  
 ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est Cathe-  
 dra Petri communione consocior: SVPER ILLAM PETRAM ADIFICA-  
 TAM ECCLESIAM SCIO. Quicumque extra hanc domum agnum come-  
 derit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante dilu-  
 vio ..... quicumque tecum non colligit, spargit; Hoc est; qui Christi  
 non est, Antichristi est. Et epist. 58 quæ est ad eundem Dama-  
 sum; Hinc præsidis fulta Mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes  
 scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: Monachorum circa manentium antiqua  
 in me surgit autoritas. Ego interim clamito: SI QVIS CATHEDRA  
 PETRI IUNGITUR MEVS EST. Meletius, Vitalis, atque Paulinus  
 non habere se dicunt; Possent credere, si hoc unus assereret. Non, aut  
 duo



duo mentuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem Tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per Passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito.

7. Hoc sancti Hieronymi exemplo docemur ad Petri successorem confugiendum in periculo schismatis; cum ille constitutus sit Caput, ut per conjunctionem cum illo constaret Ecclesiæ unitas, ac firmitas, & schismatis tolleretur occasio, quod sanctus Hieronymus docet lib. 1. in Jovinianum his verbis; *At dicitur super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen præterea inter duodecim VNVS ELIGITVR, VT CAPITE CONSTITVTO SCHISMATIS TOLLERETVR OCCASIO.* Beati Hieronymi doctrinâ, & exemplo fortassis adductus fuit Justinianus, priusquam esset Imperium adeptus, ut Hormisdam Pontificem consulere, an unus de Trinitate crucifixus prædicari deberet; cum esset hæc de re dissensio. *Hoc enim, inquit epist. 3. post Hormisdæ sexagesimam quintam, CREDIMVS ESSE CATHOLICVM QVOD VESTRO RELIGIOSO RESPONSO NOBIS IVERIT INTLMATVM.*

8. Tribuitur eidem sancto Doctore epistola quædam ad sanctum Damasum, continens Symboli explanationem. Sed Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. probat eam esse Pelagii hæresiarchæ. Argumentum tamen, quod ex ea sumitur ad probandam infallibilem iudicii summi Pontificis circa fidei questiones certitudinem, non videtur minoris efficaciam. Demonstrat enim ad eam jam primis Ecclesiæ sæculis apud omnes constitisse, Romanum Pontificem esse huiusmodi controversiarum Iudicem, ut vel ipsi Hæresiarchæ ab hæreseos accusatione tutos se esse scirent, dummodo ipsorum fides Papæ probaretur. His autem verbis clauditur illa epistola; *Hæc fides est Papæ beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamq; semper tenuimus, & tenemus. In qua si minus periret, aut parum cautè aliquid forte possum est, emendari cupimus à te, qui Petri & silem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum; non me hereticum comprobabit. Alia sunt quamplurima hereticorum, Sedis Apostolicæ communionem ambientium, & per frau-*



fraudem obtinere studentium, exempla; ut intelligas ex ipsorum etiam hæreticorum praxi, vera esse, quæ sancti Patres de Ecclesia Romana effati sunt.

9. A sancto Joanne Chrysoftomo de decem millium debitore, serm. I. Petrus appellatur *Chori Apostolorum Princeps, os Discipulorum*, COLUMNA ECCLESIAE, FIRMAMENTUM FIDEI, confessionis fundamentum, orbis terrarum Piscator; qui genus nostrum ex profundis errorum in Cælum subtraxit. Et lib. ad eos, qui scandalizati sunt cap. 17. *fundamentum Ecclesie, Princeps Cætus Discipulorum*. Docet autem idem Sanctus pluribus in locis, Petri nomen ob fidei firmitatem Apostolorum Principi impostum, insinuatque illum ob eam firmitatem fundamentum Ecclesie fuisse constitutum tom. 5. in illa verba, Paulus vocatus serm. 49. ante medium; *Petrum quidem*, inquit, *certè à virtute sic vocavit, & in ejus nomine FIRMITATIS FIDEI ARGUMENTVM, ET INDICIUM collocavit, ut appellatione sua PERPETVÒ tanquam Magistrà quãdam ejusmodi firmitatis utatur*. Et in cap. 2. epist. ad Gal. *sed prius dicendum est de Petro, & quomodo hic unus ante cæteros Discipulos solitus sit profiteri: quandoquidem etiam cognomen sortitus est OB IMMUTABLEM, ET IMMOBILEM FIDEM*. Cum enim omnes essent interrogati, hic ante cæteros proficiens: *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei vivi*. Quo tempore illi & *claves Regni Cælorum tradita sunt*. Vide quæ diximus lib. 5. cap. 12. In hoc sicut & in cæteris ferè omnibus sancto Joanni Chrysoftomo consonat Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus in illud Lucæ 22. *Rogavi pro te Petre, &c.* Ejus verba cap. 3. §. 3. retulimus.

10. S. Cyrillus Alexandrinus libro 4. Dialog. de Trinitate, B. Petri de Christi Divinitate confessioni præmium illud collatum scribit, ut Ecclesia in ejus fide fundaretur ac firmaretur immobiliter & insuperabiliter. *Ubi, inquit, interrogavit Salvator circa fines Casarea, qua vocatur Philippi: Quem dicunt homines esse filium hominis: & quis rumor de illo per Judæorum vagetur regionem, hoc est firmittimas Judææ Civitates. Puerilibus & indecoris popularium opinionibus relictis valde sapienter & scienter clamabat dicens: Tu es Christus filius Dei vivi. Jam VERO DE ILLO SENTENTIÆ REMUNERATIONEM NON MVLTÒ POST REPORTAVIT, Christo dicente: Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus cælestis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam,*  
Ecc



402 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
& porta inferi non prevalebunt contra illam. Per ammonitionem ALIUD  
NIHIL QUAM INCONCVSSAM ET FIRMISSIMAM DISCIPV-  
LI FIDEM VOCAVIT, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata  
esset, ut non laberetur & esset inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum  
manens.

11. Theodoretus epist. ad Renatum Presbyterum Roma-  
num hanc tribuit Ecclesie Romanæ laudem; Tenet sancta ista  
Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum  
quia semper hæretici factoris expertus permansit. Non est autem adeptæ  
sancta Sedes privilegium regendarum cuncti orbis Ecclesia-  
rum, postquam experientia comprobavit ipsam permansisse  
hæreseos expertem; suas namque prærogativas jam à Christo  
ipso acceperat, sed propter acceptum etiam à Christo privi-  
legium non errandi, ac in errorem non mittendi, quod per-  
petua demonstravit experientia.

12. Sanctus Gregorius epist. 52. lib. 4. quæ est ad omnes  
Galliæ Episcopos, qui erant sub Hildeberto, anno 595. scrip-  
ta, se fidei quæstionum Judicem declarat, asseritque senten-  
tiam, quâ illas determinaturus sit, congruam sine dubio fo-  
re: Si quam verò, inquit, contentionem, quod longè faciat Divina pen-  
tentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerferit, cuius vete-  
mens sit fortasse dubietas, & pro sua magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ in-  
digeat. Examinatâ diligentius veritate, relatione suâ ad nostram studeat per-  
ducere notionem, quatenus A NOBIS VALEAT CONGRVA SINE DV-  
BIO SENTENTIA TERMINARI.

13. Exstat in Codicibus plurium Bibliothecarum, & à  
Baronio refertur epistola sancti Maximi Martyris ad Mari-  
num Diaconum scribentis, in qua continetur istud de Ro-  
mano Pontifice, ejusque Sede elogium. Omnes termini terra, &  
quicumque ubique terrarum Christum Dominum purâ mente, & orthodoxâ  
fide constituentur, quasi ad solem aterni luminis sanctissimam Romanorum Eccle-  
siam, & ejus confessionem, & fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem  
splendorem recipientes spiritualium, & sanctorum dogmatum. Quemadmodum  
sex illa sancta Synodi disertis verbis, & magna cum Religione exposuerunt aper-  
tissime pronunciantes Fidei Symbolum. Ab initio enim Adventus Incarnati Verbi  
universa utique terrarum Christianarum Ecclesia à sancta Romanorum Ecclesia  
originem habuerunt, FVNDAMENTVM SOLIDVM, & maximum, contra  
quod porta inferi nullo pacto prevalebunt, juxta ipsiusmet Salyatoris promissio-  
nem.



nam, UT HABEAT CLAVES, scilicet ORTHODOXÆ in ipsum FIDEI, & confessionis, & aperiat illis, qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram, & realem solam pietatem quærentes. Et claudat e contra, & obstruat omne os Hæreticorum, quod loquitur iniquitatem in Cælum. Ubi vides Romanorum Ecclesiam idè esse fundamentum solidum, & maximum, contra quod porta inferi nullo pacto prævalebunt, quia habet claves orthodoxæ fidei, quæ sine privilegio non errandi constare non possunt.

14. Beda homil. in festo Petri, & Pauli eandem sententiam his verbis profitetur; Idè beatus Petrus, qui Christum verà fide confessus, vero est amore secutus specialiter claves Regni Cælorum, & Principatum iudicialia potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis absolvi, nec januam possint Regni Cælestis ingredi. Ex quibus concludit; Unde nos NECESSE EST utà intentione, fratres charissimi, ET FIDEI, QUAM DOCUIT SACRAMENTA DISCERE, & congruentia fidei opera demonstrare. Adè certum erat Pothoni Abbati Prumiensi, errorem apud sanctam Sedem locum habere non posse, ut secus sentientes stultitiæ arguat. Stultitia quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem ALIQUO PRAYO DOGMATE FALLERE POSSE arbitrati sunt, que nec se fecellit, nec ab aliqua hæresi V. N. QUAM FALLI POTUIT. In Chron. ad annum 865.

15. Deceveram prætermittere testimonium Petri Damiani in serm. 23. qui est de nativitate S. Joann. Baptistæ, eo quod Ecclesiam materialem cum vera Ecclesia Romana ex hominibus constante commiscere, atque adè argumentum non multum efficax subministrare videretur; sed illud apud Launoium legenti, & rursus attentius consideranti mihi visum est præstantissimi viri mentem luculenter significare; Ait ergo Petrus Damianus: *illa mater, & MAGISTRA ECCLESIA RUM OMNIUM ECCLESIA ROMANA, cui dictum est; EGO PRO TE ROGAVI, UT NON DEFICIAT FIDES TVA, in honore sancti Joannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est, & signata.* Undè habet nisi à summo Pontifice Romana Ecclesia, quod sit Magistra Ecclesiarum omnium, quodque non deficiat ejus fides? sed absque ullius æquivocationis umbra mentem suam aperit. Petrus Damiani opusc. 5. cap. 1. dum ait; *Non dubium quia quis-*  
Ecc 2



quis cuilibet Ecclesie jus suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romane Ecclesie privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur. hic procul dubio in heresim labitur: & cum ille noceat iniustus: hic est dicendus hereticus Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, que MATER EST FIDEI, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis pratulisse cognoscitur.

16. Sanctus Bernardus clarissimum Gallicanæ, atque universalis Ecclesie lumen, infallibile summi Pontificis iudicium in decidendis circa fidem controversiis passim in suis scriptis commendat. Oportet (inquit epist. 190. scribens ad Innocentium II.) ad vestrum referri apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, qua de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum: hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est; EGO PRO TE ROGAVI PETRE, UT NON DEFICIAT FIDES TVA. Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur, ET TV QUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TVOS. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscat, Pater amantissimus, Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis; in eo planè Petri impleris vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestra admonitione CORDA IN FIDE FLUCTVANTIA CONFIRMATIS, SI VESTRA ATTORITATE CONTERITIS FIDEI CORRUPTORES. Liberiùs solebat sanctus Bernardus de summis Pontificibus, & ad summos Pontifices loqui, quàm ut adulationis possit esse suspectus. Audi adhuc de privilegiis beati Joannis Baptistæ concionantem, paulò ante finem; Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est. EGO PRO TE ROGAVI, PETRE, NE DEFICIAT FIDES TVA, &c. Non ergo pro solo Petro, sed pro ejus etiam in Ecclesia Romana successoribus rogavit Dominus, ut non deficeret fides eorum.

17. Sanctum Bernardum secutus est Petrus Abbas Cellensis in epist. I. quæ est ad Alexandrum Romanum Pontificem; In gravissimis questionibus, sicut olim ad Moysen, sic nunc, Pater venerande, AB OMNI ECCLESIA DEI recurritur ad beati Petri, & vestram Sedem. Tam enim communiter communis imponitur vobis sollicitudo omnium Ecclesiarum, quàm singulariter, & specialiter Petro videtur dictum. ET TV CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TVOS. Verba illa singulariter, & specialiter non excludunt Petri successores ab officio & pri-



vilegio confirmandorum fratrum ( alioquin enim evidenter sibi contradiceret Scriptor ) sed munus illud reliquis Prælati modo illo singulari , & speciali competere negant.

C A P U T V I I I .

*Sententia Sancti Cypriani de iudicio Papæ in materia Fidei.*

1. **Q**ui iudicium summi Pontificis de fidei quæstionibus negant esse irreformabile , proferunt ex antiquis Patribus , & Doctoribus præcipuè sanctum Cyprianum , & sanctum Augustinum , quorum hac de re testimonium , sicut magni momenti , sic luculentum arbitrantur.

2. Equidem diffiteri non possumus Beatum Cyprianum , cum de baptisate ab hæreticis collato disceptaret adversus sanctum Stephanum , ejus iudicium non solum uti reformabile non suscepisse , sed etiam tanquam falsum , & Ecclesiasticæ consuetudini contrarium , rejecisse.

3. Sed primò docet nos sanctus Augustinus , Divi Cypriani doctrinam ad sacræ Scripturæ normam esse revocandam. *Nos enim* , inquit lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 31. *nullam Cypriano facimus injuriam , cum ejus quaslibet litteras à Canonica Divinarum Scripturarum autoritate distinguimus.* Et cap. 32. *Ego hujus epistola autoritate non teneor , quia litteras Cypriani non ut Canonicas habeo , sed eas ex Canonicis considero , & quod in eis Divinarum Scripturarum autoritati congruit , cum laude ejus accipio , quod autem non congruit , cum pace ejus respuo.*

4. Secundò animadvertendum est Beatum illum Martyrem quantumvis dignitatis , ac jurisdictionis suæ tuendæ studiofum , reverentiùs de sancta Sede locutum ante celebrem illam de baptisate ab hæreticis collato , disceptationem. Nam de Felicissimo , qui ejus ad Episcopatum Carthaginensem electioni adversatus fuerat , ac postmodum in eum schisma conflagraverat , & de Fortunato , hæc inter alia scripsit ad sanctum Cornelium Papam epist. 55. seu 3. lib. 1. quorum partem

Ecc 3 Epif



406 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Episcopi Gallicani anno 1681. in processu verbali retulerunt.  
Navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem,  
unde dignitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis litteras ser-  
re, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo predicante, lauda-  
ta est) ad quos perfidia habere non possit accessum. Si Ecclesia Romana  
Petri Cathedra est; cur, qui in ea sedet Pontifex, privilegio  
non gaudeat Beato Petro, ut non deficeret ejus fides, & ut  
fratres à Sathana tentatos confirmare posset, à Christo ob-  
tento? Si unitas Sacerdotalis ab Ecclesia illa principali exorta est, nonne  
ad eam, ceu ad centrum immobile conveniendum est, cum  
Ecclesiae particulares, schismate, aut contentionibus circa  
fidem commoventur, concutuntur, discinduntur? Ut quid  
Romanorum fides laudatur, & quomodo arcebitur ab eis  
perfidia, si illic fides deficiat?

5. Tertio sanctus Cyprianus non solum sanctam Sedem,  
sed & in ipsa sedentem Romanum Pontificem, tanquam  
centrum unitatis Ecclesiasticae, ac signum conjunctionis  
cum Ecclesia Catholica notavit his verbis epist. 52. seu 2.  
lib. 4. scripsisti etiam ut exemplum earundem litterarum ad Cornelium Colle-  
gam nostrum transmitterem, ut deposita omni solitudine jam sciret, te (scribit  
ad Antonianum Episcopum) secum, hoc est cum Ecclesia Catholica  
communicare. Et in epist. 45. sanctum Cornelium sic alloquitur;  
Scimus nos hortatos eos esse, ut ECCLESIAE CATHOLICAE RADI-  
CEM, ET MATRICEM MAGNOSCERENT, AC TENERENT....  
ut te universi Collega nostri, & communicationem tuam, id est Catholica  
Ecclesia unitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, ac tenerent. Quod  
Divinitus evenisse, & Consilium nostrum providenter profecisse gaudemus. Sic  
enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissima luce,  
& firmissima comprobatione fundata est.

6. Quarto eam dignitatem non ut nudum signum, sed ut  
Primatum cum jurisdictione conjunctum esse sentiebat, cum  
S. Stephani auctoritatem contra haereticos, id est contra Mar-  
cianum Episcopum Arelatensem, Novatiani sectam secutum,  
exerceri postulabat his verbis; Dirigantur in provinciam, & ad ple-  
bem Arelate consistentem à te litterae, quibus absente Marciano alius in lo-  
cum eius substituat, & grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatus, &  
pulneratus contemnitur, colligatur. Epist. 67.

7. Quinto sanctus Cyprianus epist. 69. haereticum, & schis-  
maticum



matum originem tribuit Episcopi, qui unus est, contemptui. Inde enim schismata, & hæreses oborta sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesia præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Plurimum Episcopum, qui unus esse dicitur à sancto Cypriano, Romanum Pontificem toti Ecclesiæ præfectum, intelligunt; Alii, quorum interpretatio Autoris magis videtur intentioni congruere, cujuslibet Diœcesis Episcopum significatum volunt. Sed si Episcopi particularis ea est dignitas, ut ab ejus obedientia sine schismatis, aut hæresis periculo non declinetur, quia peculiari Dei auxilio juvari præsumitur, licet Episcopi multi hæretici, aut etiam Hæresiarchæ fuerint. Quando putamus auxilio juvandum Episcoporum Caput, Petri successorem, Christi que Vicarium, & unitatis centrum. Nonne quisquis ab eo recedet, aut in hæresim, aut in schisma necesse est impingat?

8. Postquam autem permittente Deo Cyprianus in errorem lapsus est, circa baptismum eorum, qui ab hæreticis hoc sacramentum receperant; non solum, ut diximus sancti Stephani Papæ sententiæ non acquievit, verum etiam eam quantum potuit, adhibito etiam aliorum Episcoporum suffragio, impugnare conatus est. Sed in hoc desenda est humana infirmitas; eique qui stat, videndum ne cadat. Absurdum autem est quæ tunc temporis vel egit, vel scripsit Cyprianus, in exemplum, vel auctoritatem adducere. Primum enim certum est ipsum tunc in erroris tenebris versatum, atque adversus sanctum Stephanum modestiæ, ac mansuetudinis metas transgressum, circa ejus auctoritatem caligare facile potuisse.

9. Secundò, si audiendus esset Cyprianus in hac contentione disputans, quilibet Episcopus non solum à Romano Pontifice, sed etiam à Concilio Oecumenico corripì non posset, in iis etiam, quæ ad fidem pertinerent: sic enim in Concilio Carthaginensi 87. Episcoporum præfatus est; *Supraest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à jure communionis aliquem, si adversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum sese Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit: Quando hæ-*  
*beat*



beat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquæ judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare; sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus, & solus habet potestatem & prapondendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro judicandi. Si unus, & solus Jesus Christus haberet potestatem de actu Episcoporum judicandi, eamque cum nomine communicasset, non haberet illam Concilium Oecumenicum magis, quam Papa. Sed si Papa eâ caret, cur antea Beatus Cyprianus hortatus fuerat sanctum Stephanum, ut Marcianum deponeret, quantumvis hæreticum?

10. Itaque qui sanctum illum Martyrem contra summi Pontificis autoritatem in decidendis fidei quæstionibus laudant, magnam suæ causæ invidiam constant; & sancto Cypriano faciunt injuriam, dum ea commemorant, quæ aut ipse adhuc vivus correxit, aut certè jam improbat. Sicut sanctus ille Martyr in errore versabatur circa Baptismum, dum ab Ecclesia principali dissentiebat, à qua unitatem Sacerdotalem exortam esse docuerat; ita in eo quod judicium illius Sedis in quæstionibus fidei reformabile putavit, facile potuit à recto tramite declinare. Quamquam in illo ipso loco, qui frequentius, & ab hæreticis contra Primum, & à quibusdam Catholicis contra plenitudinem potestatis summi Pontificis objicitur, ex libro scilicet de unitate Ecclesiæ, beatus Cyprianus jam circa Baptismum ab hæreticis administratum errans, non potuit non perspicere, Petri Cathedralam nequaquam deleri posse, nisi Ecclesiâ ipsâ desertâ, summumque Pontificem singulari quodam modo esse Christianorum Pastorem? *Super illum VNUM* (nota vocem illam, *VNUM* quam de beato Petro accipit Cyprianus) *adificat Ecclesiam suam; illi pascendas mandat oves suas.* . . . . . & infra, *qui Cathedralam Petri, SUPER QUAM EVNDATA EST ECCLESIA, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

11. Sanctum Cyprianum hæreticorum baptismum rejicientem excusat beatus Augustinus; Primò quidem charitatem ejus commendando; *illum navum in candore sancta anima charitatis ubera contegebant.* De baptismo contra Donatistas lib. 1. in fine: & alibi sæpè. Secundò supponendo ipsum sententiam mutasse: *Correxisse istam sententiam, inquit epist. 48. quæ est ad Vincen-*  
tium,



tium, non invenitur, non incongruenter tamen de tali Viro existimandum est, quid correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Tertio opponendo Martyrii meritum, ut, si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irreplerat, gloriosâ serenitate fulgentis sanguinis fugaretur. Quod ergo ille vir sanctus de Baptismo sicut sentiens, quam res se habebat, qua postea pertractata, & diligentissima consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est. & passionis falce purgatum. Quarto, allegando rem nondum à Concilio universali definitam fuisse. Quæ ratio, quia videtur supponere judicium summi Pontificis esse reformabile, quo in sensu sit accipienda, diligentius est inquirendum.

## C A P U T IX.

*Sententia sancti Augustini de judicio Papæ in materia Fidei.*

1. **Q**ui sancti Cypriani autoritatem summi Pontificis infallibili de quæstionibus Fidei judicio opponunt, fatentur quidem, nec enim diffiteri possunt, cum in causa Baptismatis errasse, non autem in eo, quod sententiæ Romani Pontificis sibi necessariò assentiendum esse non duxit; idque S. Augustini testimonio confirmant. Sufficeret fortasse reponere sanctum Augustinum non ita sentire potuisse, quandoquidem, ut in superiori capite vidimus, non est ausus B. Cyprianum omninò à peccato excusare, quamvis insinuet veniale fuisse ejus peccatum, ideoque nebulam illam serenitate fulgentis sanguinis fugatam, errorem charitatis ubertate compensatum, & passionis falce purgatum. Quæ autem potuit alia esse Cypriani culpa, quam inobedientia erga decretum summi Pontificis?

2. Etenim variis ille rationibus, & Scripturæ locis sententiam suam tueri conabatur; & tutiorem sequi videbatur partem, cum iteratio Baptismi salutem apud hæreticos baptizatorum securiorem redderet; nec injuria fieret Sacramen-



410 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
to, quod cum hominum causâ institutum sit, nec censetur  
prophanari, dum necessarium existimatur, neque censetur  
iterari, quod, an ritè factum fuerit, dubitatur. Præterea  
non solâ suâ opinione ductus fuerat Cyprianus. Nam aliqui  
ante illum, multò plures cum illo, idem sentiebant. Cujus  
igitur culpæ reus esse potuit, nisi quod hæc omnia post Ro-  
mani Pontificis sententiam non poterant excusare, quæ in-  
noxium effecissent, silente hoc oraculo. Volunt tamen ali-  
qui (quod Cypriani peccatum minuit) rem tanquam de fide  
non fuisse definitam à Romano Pontifice.

3. Sed indicat sanctus Augustinus de verbis Apostoli serm.  
2. in fine, sufficere ad certitudinem perfectam iudicium sanctæ  
Sedis, nec ulterius quidquam requirendum. *Jam de hac causa  
duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt,  
CAUSA FINITA EST, error utinam finiatur, & lib. I. contra Ju-  
lianum cap. 4. Cui Ecclesia (Romanæ) præsidem B. Innocentium  
si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis  
exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus, Africanis respondere Conciliis,  
nisi quod antiquitatis Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter  
Ecclesia.*

4. Et epist. 157. condemnationem à summis Pontificibus  
factam in toto orbe docet esse exsequendam. *Conciliarum Episco-  
paliū vigilantia, in adiutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam  
à duobus venerabilibus Antistibus Apostolica Sedis, Papa Innocentio, & Papa  
Zozimo, nisi correcti etiam egerint poenitentiam toto Christiano orbe damnati  
sunt. Cur autem B. Innocentius aliud non potuerat Africanis  
respondere Conciliis, nisi quod omnes tenebant Ecclesiæ?  
aut cur Concilia Episcopalia toto orbe damnent, ab illo, &  
à Zozimo damnatos? quia nimirum portæ inferi non possunt  
prævalere adversus Petri Sedem, ut inquit idem Doctor in  
Psalmo contra partem Donati. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Pe-  
tri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte, ipsa est petra,  
quam non vincunt superba inferorum portæ.*

5. Si quando ergo sanctus ille Doctor Concilium plena-  
rium post iudicium Papæ, necessarium dicit, necessitatem  
illam refert, non ad veritatem rei definitæ, quasi omnino,  
& indubitatè certa non sit, sed ad convincendam errantium  
pertinaciam, supremum Pontificis Tribunal non tantum ve-  
ne-



nerantium, quando solum iudicat, quam dum ceteri omnes Episcopi consentiunt. Id patet in epist. 162. ubi de Donatistis hoc scribit, quod praecipue pro Conciliis contra Romanum Pontificem allegatur; *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romae iudicant, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium universale Ecclesiae Concilium, ubi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent eorum sententia solverentur.* Ubi sanctus Augustinus argumentatur ad mentem Donatistarum. *Ecce putemus. Quodnam autem fuisset illorum consilium, aperuerat his verbis, quae immediatè praecedunt. Elegerunt, sicut dicitur, ad duas agere causam cum Caeciliano apud Ecclesias transmarinas, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacunque versuta falsa criminationis vincere, satiarent plenissime cupiditatem suam: si autem non possent, in eadem quidem perversitate durarent; sed jam tamen quasi haberent, quod dicerent, malos Iudices se esse perpeffos, quae vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissimè veritate superati: quasi non eis ad hoc dici posset, & iustissime dici.* *Ecce putemus, &c.* Ex quibus verbis colligitur Sanctum disputare in eo loco, non tam de autoritate iudicii à Romano Pontifice prolati, quam de ejus iustitia; idque ad mentem Donatistarum, conquerentium malos Iudices se esse perpeffos; cui querelæ respondet sanctus Doctor, restare adhuc plenarium universale Ecclesiae Concilium, ubi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari; ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur. Sufficiebat sancto Augustino, ut probaret vanam esse Donatistarum excusationem, schisma ob iniquitatem suorum Iudicum falso excusantium; quæ certè excusatio vana comprobatur, ex eo quod, sicut à Romano Pontifice ad Concilium Arelatense causa delata fuerat, ita potuisset ad Concilium universale perferri, ut adhuc diligentibus negotium discuteretur, ac omnis tolleretur schismatis occasio, seu praetextus.

6. Cæterum Concilium illud absolutè necessarium non fuisse sentiebat S. Augustinus, cum subjungat de Arelatensi; *Veritè ille (Imperator Constantinus) aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

7. Adde quod non comparat S. Augustinus Romanum Pontificem cum Concilio Oecumenico, à quo ipse absit, sed



412 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Pontificem sine Concilio, cum Pontifice in Concilio. Li-  
cet autem infallibile sit Pontificis sine Concilio Oecumeni-  
co iudicium in causis fidei; clarius tamen apparet ejus judi-  
cii æquitas, causâ coram omnibus Episcopis agitâ, & ab  
omnibus prolata sententiâ. Maximè cum de facto est quæstio  
vel principalis, vel accessoria.

8. Locus alter, ubi sanctus Augustinus Concilium ple-  
narium videtur Papæ anteferre, est in tractatu de Baptismo  
contra Donatistas, lib. 1. cap. 18. cujus hæc sunt verba.  
*De Baptismi ergo quæstione jam quantum arbitror, satis differui, & quia hoc  
manifestissimum schisma est, quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat,  
ut hoc de Baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia, à sacrilegio schisma-  
tis remota, custodit. In qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista  
quæstione salvâ pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliqua-  
tum sincerumq; placuisset, humana infirmitatis errorem cooperiret charitas mi-  
sericordis, sicut scriptum est, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Quæ  
enim absente cætera inaniter habentur, eadem præsentem, quadam venialiter non  
habentur. Verùm in his verbis non comparatur Concilium ple-  
narium cum summo Pontifice, cujus quidem nulla in illis sit  
mentio: sed supponitur casus, in quo diversæ essent opi-  
niones inter Catholicos: tunc enim quisque suam tueri pos-  
set; donec controversia esset ab Ecclesia universa defini-  
ta, quæ definitio in Concilio plenario sine dubio fieri po-  
tuisset.*

9. Sed quæres fortasse, cur S. Augustinus hanc definitio-  
nem à Concilio plenario fieri voluerit, potius quàm à Ro-  
mano Pontifice, si utriusque iudicium erat irreformabile?  
Quia contra Donatistas disputabat, qui nec S. Melchiadis,  
nec Constantini, nec Concilii Arelatensis iudicio acquie-  
rant. Quamobrem nullum supererat, ad quod vocari possent  
Tribunal, præter Concilium Oecumenicum: non quod ne-  
cessarium esset ad certitudinem, & rectitudinem sententiæ,  
ut notavit S. Augustinus Epist. 162. sed ut inexcusabilis ap-  
pareret illorum contumacia, & ab Ecclesia discessio; *Dedit  
ille (Constantinus) aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episco-  
porum: NON QUIA IAM NECESSE ERAT, SED EORVM PER-  
VERSITATIBVS CEDENS, & omnimodo cupiens tantam impudentiam  
cohibere. Quia etiam unius, quantæcumque sit Dignitatis,*  
ju-



judicium esse infallibile, supra humanam rationem est, nec nisi fide, ac traditione sciri potest: quod autem sententia Senatorum ex toto orbe congregatorum, nec minus merito quam numero insignium, veritatem attingat, etiamsi fides non doceret, ratio suaderet humana. Ideo Concilium generale pertinacissimis hominibus erat proponendum, quod si recusarent, rei à nemine non haberentur. Nec tamen quod de Concilio generali affirmavit S. Augustinus, de summo Pontifice negavit; standum scilicet ejus sententiæ.

10. At, inquires, in causa, de qua S. Augustinus agebat, summus Pontifex jus jam dixerat. Non constat S. Stephanum definiisse tanquam de fide, baptizatos ab Hæreticis non esse rebaptizandos, sed tantum jussisse non rebaptizari; cujus signum est, quod non excommunicavit, sed excommunicatione dignos censuit secus agentes. Præterea S. Augustinus non loquebatur de illa quæstione pro illo statu, in quo res tunc temporis erant; sed ex hypothesi, quod essent diversæ opiniones, ut patet ex his verbis; *Restat ut hoc de baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia, à sacrilegio schismatis remota, custodit. In qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione salvâ pace sentiant, &c.* Cùm autem S. Augustinus adversus Donatistas scribebat, quæstio jam à plenario Concilio definita fuerat, ut ipsè frequenter repetit. Itaque non poterat Concilii plenarii autoritatem requirere pro eo, in quo res erat, statu; atque adeo nec ad Pontificis judicium respicere, sed ad controversiam, quasi nondum diremptam. Alioquin licuisset aliis aliud sentire, dummodò salva pace, etiam circa id quod universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodiebat. Non erat igitur S. Augustino proposita comparatio plenarii Concilii cum Romano Pontifice in ferendo de quæstionibus fidei iudicio.

11. Quid quod S. Augustinus nusquam tam apertè de summi Pontificis, ut de Concilii Oecumenici iudicio, pronuntiavit, non esse irreformabile. Nam lib. 2. contra Donatistas objectioni Donatistarum, quam cap. 1. his verbis proponit; *Quid ergo isti dicunt, cùm veritatis viribus prefocantur, cui consentire nolunt? Cyprianus, inquiunt, cujus tantum meritum novimus, tantam doctrinam cum multis Coepiscopis suis, sententias proprias conferentibus,*



in Concilio statuit, Hereticos, vel schismaticos, id est omnes, qui extra unius Ecclesie communionem sunt, baptismum non habere; & idem quisquis ab eis baptizatus ad Ecclesiam venerit, esse in Ecclesia baptizandum. Huic, inquam, objectioni respondens cap. 3. sic resumit; Vos certe nobis objicere soletis Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium. Cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesie pace respuitis. Quis autem nesciat S. Scripturam Canonice tam veteris, quam novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari, & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit, Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapienterem cujuslibet in ea re peritoris, & per aliorum Episcoporum graviores auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Provincias sunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ sunt ex universo Orbe Christiano sine ulla ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clarum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo Typho sacrilega superbia, sine ulla inflata cervice arrogancia, sine ulla contentione livide invidia cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana. Respondeant huic S. Augustini loco, qui judicium Concilii judicio Papæ in quæstionibus fidei præponunt. Quod illi pro Concilio, nos pro Pontifice, tantoque facilius, quod, primò hic expressissima emendationis Concilii mentio fit; Ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, &c. Quæ de plenariis Africanis intelligi non debent, cum de illis loquatur, quæ sunt ex universo Orbe Christiano. De Papæ sententia non ita clarè S. Augustinus. Secundò hæc de Concilio dicta sunt occasione hæresis, scilicet Donatistarum baptismum iterantium. Quod verò epist. 162. de Melchiadis sententia, ex suppositione quod fuisset falsa, per Concilium emendari potuisse scripsit, ad fidem non pertinebat, sed ad electionem Cæciliani. Nam tempore Melchiadis, nondum Donatistæ Hæretici evaserant. Quod autem ea lib. 1. de baptism. contra Donatistas objectum est, dictum quidem est occasione erroris S. Cypriani, baptizatos ab Hæreticis iterum baptizandos contententis, sed sine expressa summi Pontificis definitionis mentione, qui quidem baptiz-



baptismum repeti veterat, & rectissime, sed rem tanquam de fide ab illo definitam fuisse non constat.

12. Denique, si verum esset, S. Augustinum illi sententiæ favisse, quæ infallibilitatem soli Concilio Oecumenico tribuit, imò totam Africam in agnoscendâ sanctæ Sedis autoritate, non solum in materia fidei, sed in aliis etiam, v. g. in Appellationibus, difficilem se aliquando præbuisse; meminisse oporteret, Deum, qui non omnia simul omnibus solet clarè manifestare, sed per partes & gradus, prout ipsi placet, ad hæc cognitionem tandem Africanos perduxisse, imò quasi necessitate pertraxisse. Jam quidem antea ad Concilia Cleri Romani circa lapsos post mortem S. Fabiani, & ad auxilium S. Cornelii pro conservanda propria Dignitate confugerat sanctus ipse Cyprianus. S. Augustinus Innocentii & Zosimi autoritate maximè Pelagianos impugnavit. Hujus Sedis sententiâ Cæcilianus, ejusque defensores Donatistas represserunt. Et, ne plura commemorem, ac extra quæstionem, quam præ manibus habeo, excurram, potuitne Ecclesia Africana luculentius infallibile sanctæ Sedis judicium in definiendis fidei quæstionibus confiteri, quam epistolâ illâ Synodicâ trium Conciliorum Africanorum, quæ ad Theodorum Papam scripta, lecta est sub ejus successore Martino I. in Concilio Lateranensi an. 649. act. 2.

13. Magnum & indeficientem (sic incipit illa epistola) omnibus Christianis fluente redundante apud Apostolicam sedem consistere fonte, nullus ambigere possit, de quo rivuli procedunt assuenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri, Patrum Decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, qua omnino & sollicitè debent, maximè verò justè, ab ipso Prasulum examini vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probæ laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae Sedis vestre fuisset deductum, ut hujus autoritate justa qua fuisset pronuntiatio firmaretur, indeq; sumerent cetera Ecclesia velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis. Videri potest ibidem, id est act. seu decr. 2. Concil. Lateranens. anno 649. libellus Stephani Episcopi Dorensis, ubi præ-



416 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ter alia dicitur; In Apostolica Sede Orthodoxorum dogmatum fundamenta  
existere.

14. Relatio Possessoris Episcopi Afri per Justinum Diaconum Hormisdæ Papæ, quæ extat post epist. 69. ejusdem Hormisdæ, sic incipit; *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Preside, cujus primus à Christo Rector auditus: Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.*

## C A P U T X.

### *Sententia Cleri Gallicani de judicio Papæ in causis Fidei.*

1. **T**Oti Clero Gallicano tribuendum non est, quod gestum est ab Episcopis Parisiis congregatis. Non enim contentus ille, qui non errandi privilegium summo Pontifici adimere tentavit, Concilium Nationale erat, nec ii, ex quibus constabat, aliorum procuracionem ad definiendas eas quæstiones acceperant. Imo admodum odiosa reliquis omnibus, vel ferè omnibus in Gallia, sicut & in omnibus aliis Nationibus visa est declaratio illorum Episcoporum, vel ob id saltem, quod tunc temporis edita esset, cum non aliud spectare posse videretur, quàm ut summum Pontificem pro Ecclesiarum Gallicanarum libertate contendentem dederet.

2. Si autem ex cæteris (quod præsumendum non est, saltem de multis) pœnarum in Edicto Regio declarationem illam confirmante contentarum metu, aliqui ad istorum sententiam accederent, audienda potius esset Gallicana Ecclesia, tunc temporis loquens, cum minus suspectus erat ejus clamor. Episcoporum illius Nationis tum seorsim, tum simul, de sanctæ Sedis Decretis circa fidem olim differentium verba retulimus in capitibus superioribus. Sed ne putes sequentibus temporibus defecisse Fidem ac Religionem illius Cleri, addenda sunt diversorum temporum exempla, ex qui-



quibus & aliis, quasi perpetuæ traditionis series contexti possit.

3. Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quem ad extol-  
 lendam nimis auctoritatem Pontificis Romani proclivem ne-  
 mo, qui ejus ingenium perspectum habuerit, facile suspi-  
 catur, illustre testimonium hac in parte reddit sanctæ Sedi in  
 præfatione opusculi de divortio Lotharii Regis, & Gerbergæ  
 Reginae. De omnibus dubiis vel obscuris, inquit, qua ad recta fidei te-  
 nentem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, ut omnium  
 Ecclesiarum Mater & Magistra, nutrix & doctrix, est consulenda, & ejus  
 salubria monita sunt tenenda, maxime ab his, qui in illis Regionibus habitant,  
 in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Ca-  
 thelico lacte nutrit, quos ad vitam præordinavit æternam. Si omnium  
 Ecclesiarum Magistra & Doctrix est Ecclesia Romana, cur non Eccle-  
 siæ Gallicanæ, vel etiam universæ? An hæc tota distingui-  
 tur ab omnibus suis partibus? An sensus compositus à sen-  
 su diviso hac in re olim discretus est? At, inquit, Ecclesia  
 Romana consulenda est, & ejus monita tenenda, sed eâ conditione dum-  
 modo sint salubria. Irridet, & non profitetur, qui summum  
 Pontificem in eo sensu alloquitur, aut de Ecclesia Romana  
 ita loquitur; cujus enim vel vilissimi hominis monita non sunt  
 tenenda, si salubria sint? sed eâ ipsâ ratione quod ab Ecclesia  
 Romana dantur, quæ est omnium Ecclesiarum Magistra & Doctrix, sa-  
 lubria habenda sunt, & tenenda.

4. Ivo Carnotensis epist. 8. ad Riccherium Senonensem  
 Archiepiscopum, eum qui Ecclesiæ Romanæ non concordat,  
 hæreticum declarat; Dicitis etiam in litteris, me Sedem invasisse Gaufridi  
 Cæpiscopi vestri, in quo manifestè contra sedem Apostolicam caput erigitis,  
 domum quod illa ædificat, vos, quantum in vobis est, destruitis; & quod illa  
 destruxit, vos ædificare contenditis. HUIUS IUDICII ET CONSTI-  
 TUTI ONIBVS OBTINERE PLANE EST HÆRETICÆ PRAVITA-  
 TIS NOTAM INCURRERE, cum Scriptura dicat: Hæreticum esse constat,  
 qui Romana Ecclesia non concordat.

5. Jacobus Cardinalis Vitriacus in hist. Orient. cap. 75.  
 anno 1230. Patet ergo, inquit, CVM SVPER HANC PETRAM,  
 PRO QVA DOMINVS ROGAVIT VT NON DEFICERET FIDES  
 EIVS, POST CHRISTVM ÆDIFICATA SIT ET FVNDATA  
 CHRISTI ECCLESIA, QVOD OMNES QVI AB ECCLESIA



418 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ROMANA RECEDVNT, ABSQVE FVNDAMENTO ADIFICENT  
in vanum laborantes, & ab eo qui à Domino Cephas appellatus est, separati,  
Acephali, & monstrosi homines meriti sunt reputandi.

6. Quæ esset Ecclesiæ Parisiensis de iudicio summi Pontificis in decidendis quæstionibus ad fidem spectantibus sententia anno 1324. declaravit Stephanus Episcopus Parisiensis literis pro B. Thomæ Aquinatis doctrina editis. De Concilio, ut ibi dicitur, venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis, & Venerabilis P. D. Guillelmi Dei gratiâ Archiepiscopi Viennensis Sacre Theologia Professoris, & aliorum 23. Magistrorum in Theologia, nec non 39. Baccalaueorum in Theologia. Hæc enim declaratio facta est ob eam causam, quæ his verbis exprimitur. Nos igitur attendentes cum eis quod SACROSANCTA ROMANA ECCLESIA FIDELIVM OMNIVM MATER ET MAGISTRA IN FIRMISSIMA PETRI CHRISTI VICARII CONFESSIO NE FVNDATA, AD QVAM VELVT AD VNIVERSALEM REGVLAM CATHOLICÆ VERITATIS PERTINET APPROBATIO ET REPROBATIO DOCTRINARVM, DECLARATIO DVBIORVM, DETERMINATIO TENENDORVM, ET CONFVTATIO ERRORVM, presatum Doctorem venerabilem, corpus doctrinâ fulget Ecclesia ut Sole Luna, nuper Sanctorum Catalogo ascribendum, doctrinâ diligenti excussione & examinatione prababitâ super vita ipsius & doctrinâ, ipsius, quoad vitam puram, ac doctrinam salutarem ubi tota commendabilem predicavit, &c. Quæ declaratio eo maioris est ponderis, quod qui eam edidit Episcopus, idem antea quasdam D. Thomæ sententias impugnari permiserat. Unde constat illum ideo mutasse sententiam, quia, ut significat Romana Ecclesia sancti Doctoris doctrinam commendarat. Hist. Univers. Paris. tom. 4. ad dictum an. 1324.

7. Franciscus Archiepiscopus Rotomagensis in Apologia Evangelii pro Catholicis ad Jacobum Majoris Britannicæ Regem, Parisiis anno 1625. edita lib. 2. cap. 1. multa scribit, quibus infallibile summi Pontificis iudicium in materia fidei probat. Grandi, inquit, quodam privilegio Romanus Pontifex Custos Fidei φύλαξ τῆς πίστεως à Patribus habitus, ut Ephesina acta Cælestino Papa χελευσίω τῶ φύλαγι πίστεως Cælestino Custodi Fidei acclamatum testatur. Nec non & postea insertum Chalcedonensibus actis insigne monumentum illud est Petri Episcopi Ravennatis epist. ad Eutychem. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romana Civitatis scripta sunt



sent, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsides, præstat quarentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio Pacis & Fidei extra consensum Romana Civitatis Episcopi causas fidei definire non possumus, &c. Denique multa colligit Romani Pontificis epitheta idipsum significantia; quod sit Custos Fidei, violatæ Fidei Vindex, Caput totius Fidei, &c. Cap. 2. refert partem epistolæ Agathonis Pontificis in sextæ Synodi act. 4. Synodicè lectæ, de Ecclesia Romana dicentis ad Imperatores; *Hac spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, que per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio Fidei Christiana percepta ab Autoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata sine tenus permanet.* Cap. 12. majori cum energia; *CVI NON PATET, inquit, FIDEI OSTIVM ROMANIS CLAVIBVS APERIENDVM, A ROMANOQVE PONTIFICE PATEFACIENDVM ESSE.*

8. Jam à primis sæculis, ut testatur S. Leo epist. 89. sancta Sedes ab Episcopis Gallicanis innumeris est relationibus consultata, qui mos nunquam non viguit. Porro ejus responsa ita suscipiebantur, ut postea consulentes non vacillarent, atque adeo reformabilia esse non suspicarentur, quod tum ex multis, quæ jam diximus constat, tum hic confirmandum est testimonio celeberrimi Egidii Archiepiscopi Bituricensis, qui expositione cap. cum Marthæ. De celebr. Miss. ait; *Archiepiscopus igitur Lugdunensis de omnibus his dubitans, SEDEM PETRI, AD QVAM PERTINET MAIORES CAVSAS, ET PRÆSENTIM ARTICVLOS FIDEI, ET EA QVÆ AD ARTICVLOS ORDINANTVR, DECIDERE, CONSVLVIT, NE IN IPSIS VLTERRIS VACILLARET.*

9. Nicolaus Coeffeteau Theologus Parisiensis, ac postea Massiliensis Episcopus in tractatu pro sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ adversus Rempublicam Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis part. 5. discuss. num. 5. cap. 12. lib. 1. Indefectibile fidei lumen in summo Pontifice his verbis astruit; *Dico igitur non esse per lumen in reliquis cum summo Pontifice. Namq; VNI EI IN PERSONA PETRI DICTVM EST, EGO ROGAVI PRO TE VT NON DEFICIAT FIDES TVA. Quare eâ luce collustratus plus ejus oculus certis quam multorum oculi, &c.*



10. Luculentius mentem suam aperit Illustrissimus Gabriel Albaspinus Aurelianensis Episcopus in hæc verba Tertulliani, Episcopus Episcoporum lib. de Pudicitia; *Quicumque igitur, inquit, ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, serio vel peribidrium, illis tamen temporibus PENES EVM POTESTATEM EVISSE DE REBVS FIDEI IUDICIA PEREMPTORIA FERRE, & totius orbis Episcopos monere atque docere, quis non agnoscit? Eoq; magis quod ante Tertullianus jam heresi implicitus, de hac re cæteris Ecclesiæ Episcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando coniecturam facit, eâ tempestate id iuris Romanis Episcopis concessum fuisse, eosq; revera hæc potestatem exercuisse. Vide ejus notam in hæc verba S. Optati Episcopi Milevitani de B. Petro loquentis lib. 2. de schism. Donat. Qui ducit ad se Angelum.*

11. Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Tolofanus in quodam M. S. quod Stephanus Baluzius in compendio ejus vitæ libris de Concordia præfixo, asserit ultimum esse Illustrissimi illius Archiepiscopi opus, paulò ante mortem ab ipso confectum, infallibile Papæ in Fidei quæstionibus iudicium ita defendit, ut opinionem contrariam antiquorum Doctorum Universitatis Parisiensis (Gersonium & alios innuebat, de quibus postea) ab Ecclesia tolerari tantum asseruerit; cæterum tunc ipsiusmet Universitatis, & aliarum omnium Doctores, pro infallibili Papæ iudicio stare.

12. Non Episcopi singulares tantum, sed ut olim Concilia, ita posterioribus temporibus conventus, & Comitia Cleri Gallicani privilegium illud sanctæ Sedis venerata sunt. Celeberrimus Conventus Melodunensis an. 1579. tit. 1. Constitutionum, qui est de fidei professione, sic decrevit; *operam dabunt ii quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tam Diœcesanis quam Provincialibus, omnes & SINGULI TVM CLERICI, TVM LAICI AMPECTANTVR, ET APERTA PROFESSIONE EAM FIDEM PRONVNCIENT, QVAM S. ROMANA ECCLESIA, MAGISTRA, COLUMMA, ET FIRMAMENTVM VERITATIS PROFITETVR ET COLIT. Ad hæc enim propter suam principalitatem necesse est omnes convenire Ecclesias.*

13. Sed quid sibi volunt verba illa epistolæ Comitiorum Generalium Cleri Gallicani ad Innocentium X. Pontificem Maximum 8. Kal. Novembr. 1650. SCIMVS VBI CA-  
PVT



PRÆTERTER ECCLESIAE IBI TOTIVS FIDEI ARCEM, TOTIVS ET DISCIPLINÆ METROPOLIM; Eoq; convenitur à nobis libentius, quo in Præsulum Primatis sicut Præsules, si quando illis dolet, maxime à vulneribus Ecclesie justissimas querelas suas deponere par est. Adeone parum tuta est Religio nostra, ut totius fidei arcem hæresi disjici posse sentiamus? Adeone parum firma est Petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, ut portæ Inferi prævalere possint adversus eam? Adeone inefficax Christi Oratio, ut Petri, pro quo rogavit, defectura sit fides in ejus successoribus? Sed Ecclesie Gallicanæ mens luculentius apparet in Epistolis anno 1653. in ultimo capite hujus libri referendis.

C A P U T X I.

*Probatum auctoritate Universitatis Parisiensis ac Doctorum Particularium illius, nec non Senatus Parisiensis, Papæ judicium in causis Fidei esse irreformabile.*

I. **A**Nno 1387. tota Universitas Parisiensis in Consistorio apud Clementem, quem tanquam legitimum Pontificem sequebatur, per Magistrum Petrum de Alliaco infallibile Romani Pontificis judicium in Causis fidei esse professam est his verbis in histor. Univerf. ad hunc annum relatam; Igitur pro vestris humilibus filiis Universitatis predictæ, & pro nobis eorum Nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis inimitum, corde & ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc vel alias pro eis acturi, aut dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicae & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus; dicentes cum B. Hieronymo 24. quæst. I. Hæc est fides, Pater Beatissime quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus peritè, aut minus cautè fortè aliquid positum est, EMENDARI PETIMVS A TE, QUI PETRI FIDEM ET SEDEM TENES. NON IGNORAMVS ENIM SED FIRMISSIMÈ TENEMVS, ET NVLLATENVS DVBITAMVS, QVOD SANCTA SEDES APOSTOLICA EST ILLA CATHEDRA PETRI, SVpra QVAM EO-



422 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
DEM HIERONYMO TESTE FVNDATA EST ECCLESIA, et  
habetur eadem quaestione in cap. Quoniam vetus. Et sicut dicit Cyprianus 93.  
dist. Qui Cathedram, DE QVA SEDE, IN PERSONA PETRI  
APOSTOLI IN EA SEDENTIS DICTVM EST, PETRE RO-  
GAVI PRO TE VT NON DEFICIAT FIDES TVA Luc. 22. Hæc  
est igitur ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholice, ac ha-  
retica impietatis detestatio maximè pertinet.

2. Adeo erat veneranda illi Universitati sententia de infal-  
libili iudicio Papæ, ut ante hunc annum nullus ejus Facultatis  
Doctor ab ea recesserit, & postea, licet occasione schisma-  
tis, aut aliorum dissidiorum ab ea nonnulli declinaverint,  
nunquam tamen ab ipsis Universitatis incunabulis usque ad  
postremas contentiones defuerint Doctores, qui eam seque-  
rentur. De antiquis testatur generatim Andreas Duvalius  
Academiæ Parisiensis alumnus, ac Theologiæ Professor, in  
lib. De Suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate, anno 1614. in  
lucem emissio, & à duobus aliis Doctoribus approbato, sen-  
sisse illos privilegium in fide non errandi à Petro ad ejus  
successores defluxisse, nec nisi à ducentis annis quemquam ab  
ea sententia recessisse. Hæc sunt ejus verba; *Velint nolint Adver-  
sarii, liquidò constat veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in summis Pon-  
tificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christi, Domi-  
ni Orationem in Petro non stetit, sed ad ejus successores certissimè transisse,  
EOSQUE, QUI HANC VERITATEM IMPUGNARE CONATI  
SUNT, A DVCENTIS AVT CIRCITER ANNIS, QUIBUS IN  
ECCLESIAM HORRENDA SCHISMATA IRRYERUNT, COE-  
PISSE. QUÆ DOCTORIS assertio exemplis est roboranda.*

3. Alcuinus S. Benedicti Monachus Caroli Magni Præcep-  
tor, ei que, ut volunt Galli, fundandæ illius Universitatis  
autor, hæc habet lib. 1. de Divin. offic. cap. 19. *Religionis  
cultum sic Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, et-  
que ab ipso quasi capite donata vellet in corpus omne manare. (Nota hæc  
verba, in corpus omne, ne putes Alcuinum sensisse, à summo  
Pontifice in alias Ecclesias seorsim acceptas, non autem in cor-  
pus ipsum Ecclesiæ universalis, fidei veritatem, aliaque Di-  
vina dona manare.) Unde constat ab universali Orbis communitate sepa-  
ratos esse, sicut docet B. Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra Myste-  
ria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.*

4. Al-



4. Albertus Magnus S. Thomæ Magister, qui tanto Discipulorum concursu Parisiis docuit, ut, cum schola nimis esset angusta, in foro quod ab ejus nomine nuncupatur, legere coactus sit, ex verbis Christi ad Petrum; *Rogavi pro te, &c.* infert, Petri successores à fide, quantumvis illa impetatur, non defecturos. *Hoc argumentum* inquit, *efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quod fides ejus non finaliter deficiat.* Obscuritatem aliquam paret vox illa, *finaliter*, ac fortè de perseverantia finali in fine aliquis eam interpretaretur; nisi constaret eam quidem interpretationem S. Petro posse accommodari, non autem successoribus ejus, quibus si non esset datum in determinandis fidei quæstionibus non errandi privilegium, multò minus affirmare liceret, promissam ipsis, ut privatis personis, finalem in fide perseverantiam, multò minus de Sede ipsa B. Petri, cujus etiam meminit (*Pro Sede Petri & successore ipsius*) posset illa vox, *finaliter*, accipi. Ea igitur vis est vocis illius; posset scilicet Romanum Pontificem in rebus ad fidem spectantibus, dum eas agit, ac discutit, aliquatenus fluctuare, quemadmodum Joanni XXII. contigit circa visionem Beatificam ante judicium universale; rebus tamen agitatæ & discussis non posse quidquam solemniter definire, ac toti Ecclesiæ credendum proponere, quod sit ab Orthodoxa fide alienum.

5. Sanctus Thomas Aquinas Universitatis Parisiensis Alumnus, ac in ea deinde celeberrimus Magister, non potuit ludentius supremum & infallibile summi Pontificis, in decidendis circa fidem dubiis judicium profiteri, quàm his verbis 2. 2. quæst. 1. art. 10. *Ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet DETERMINARE EA, QUÆ SUNT FIDEI, UT AB OMNIBUS INCONCVSSA FIDE TENEANTUR.* HOC AUTEM PERTINET AD AYTORITATEM SVMMI PONTIFICIS, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decret. extra de Baptismo c. *Majores.* Unde & Dominus Luc. 22. *Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ cavillatione locum istum obscurabit Launoius? Non hic ad Ecclesiæ Romanam, non hic ad Sedem Apostolicam, sed ad auctoritatem summi Pontificis pertinere dicitur *finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussè teneantur.*



6. At fortasse, licet non exprimat, intelligit tamen S. Thomas casum, cum summus Pontifex in Concilio Oecumenico sedet, ac praesidet. Contra verò eam restrictionem expressis verbis rejicit S. ille Doctor de potentia quaest. 10. art. 4. ad 13. ubi postquam summo Pontifici, sicut & Concilio Oecumenico auctoritatem tribuit interpretandi Symbolum, subjungit; Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex praedictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Qua omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Objectionem de necessitate Concilii praecipue occupat his verbis; NEC EST NECESSARIUM, QUOD AD EIVS EXPOSITIONEM FACIENDAM UNIVERSALE CONCILIUM CONGREGETUR, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in septima Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit, quod propter eminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit: sed tamen illi qui convenerunt, quadam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papa determinaverunt. Scilicet quod in Christo sint duae voluntates & duae actiones, & similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis Papa, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post incarnationem.

7. Antiquos secuti sunt novi quamplures: Joannes à Ge-laia Doctoratus Lauream in Universitate Parisiensi assecutus, in 3. sentent. dist. 25. quaest. 4. quintam hanc ponit conclusionem; QUINTA CONCLUSIO EST ISTA. ROMANA SEDIS IUDICIUM IN HIS QUAE FIDEI SUNT, ET AD HUMANAM SALUTEM NECESSARIA, ERRARE NEQUIT; Quid probatur ex promissione salvatoris Nostri Luc. 22. qua verba allegat Bernardus scribens Innocentio Papa. . . . . Idem asserunt D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Gregorius. Deinde illorum rejicit sententiam, qui infallibilitatem penes Ecclesiam universalem tantum, non autem penes Romanum Pontificem solitariæ sumptum reponunt. Contra istam conclusionem arguitur. Doctores Catholici glossant illam auctoritatem Salvatoris de universali Ecclesia, & non de Sede Romana, ergo male assumitur talis auctoritas pro fundamento istarum conclusionum. Ad hanc replicam respondetur negando antecedens, imò necessarium est dicere, quod non intelligitur de universali Ecclesia. Nam subjungitur; Et tu aliquando conversus, &c.



Idcirco D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anselmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas glossant præfatam auctoritatem de Ecclesia Romana, ut distinguitur ab aliis Ecclesiis.

8. Andreas Duvallius, ut supra diximus Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate Tractatum emisit in lucem ann. 1614. eumque approbarunt G. J. Roger, & J. Roche Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctores his inter alia verbis. *Furis ut fiat publici opera pretium duximus ad sanctissimi Domini nostri Papæ auctoritatem tuendam, nec non ad summam cum eodem Capite suo visibili Romano Pontifice unionem ærtissimè retinendam, cui aliter schismaticorum mala mens malusq; animus malè & seditiosè consultum vellet.* 10. Kal. Febr. an. sal. 1614.

9. Joannes Puteanus Augustinianus Professor Regius in Academia Tolosana, qui Parisiis Theologiam didicerat, in 2. 2. S. Thomæ quæst. 1. art. 6. dubit. 2. conclusionem hanc secundam ponit; SOLIVS PONTIFICIS MAXIMI EST RES DE FIDE CATHOLICA DEFINIRE, ET EASDEM CERTO ET INDEBITANTER PROPONERE CREDENDAS, quam sacrae Scripturæ, Patrumque, atque aliorum Doctorum testimoniis probat. In solutione autem primæ objectionis infallibilitatem, quam habent Episcopi in Concilio universali, connexioni, quam habent cum summo Pontifice, adscribit, eamque Concilio, absente summo Pontifice, denegat. *Infallibilis ista assistentia Spiritus sancti non est aliunde repetenda, quam a promissione D. Petro facta. Unde propter connexionem quam supponimus dari inter Episcopos & Pontificem Maximum, in Concilio generali, statuendum est, Episcopos illic congregatos nullo modo errare posse in rebus de fide decidendis. SI TAMEN EVE-  
RINT CONGREGATI TOTIVS ORBIS EPISCOPI ABSENTE PONTIFICE MAXIMO, ET EIVS LEGATIS, EPISCOPI  
SVEVICIVNTVR ERRORIEVS.*

10. Leonardus Coquæus etiam Augustinianus in Univer-  
sitate Parisiensi Doctor Theologus in Antimornæo tom. I.  
pag. 83. QUOMODO IGITVR, inquit, æGRE FERVNT  
(Hæretici) NOS ROMANVM PONTIFICEM CONCILIIIS SY-  
PTEIOREM ASSERERE? ET ROMANO PONTIFICI, ET  
CONCILIIIS OECVMENICIS IN SPIRITV SANCTO LEGI-



426 TRACTATVS DE LIBERTATIBVS,  
TIME CONGREGATIS TANTVM DEFERIMVS, VT NEC II-  
IVM, NEC ISTA, IN DEFINIENDIS, QVA AD FIDEM ET  
MORES PERTINENT, AC REGIMEN ECCLESIAE SPECTANT,  
ERRARE POSSE ASSERAMVS: NEC QUIDQVAM TOTI EC-  
CLESIAE PROPONERE CREDENDVM, QVOD SITERRONEVM;  
*ut hereticus aut temerarius ille sit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecum-  
enicorum Conciliorum statuta ac definitionibus refragari audeat. Tomo au-  
tem 2. pag. 237. Cum sedeat in Cathedra Petri, pro quo Dominus roga-  
vit ut non deficeret fides ejus; & ut confirmaret fratres suos, non sine eum  
ex illa Cathedra aliquem errorem loco fidei salutifera obtrudere fidelibus cre-  
dendum.*

11. Hervæus Natalis Brito Ordinis Fratrum Prædicatorum  
Generalis in tract. de potestate Papæ, quem refert, & se-  
quitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, ejusdem Or-  
dinis, 3. part. summæ Theologiæ tit. 22. cap. 2. §. 3. probat  
necessitatem unius capituli in Ecclesia ex necessitate conformi-  
tatis in veritate fidei & morum hoc modo; *In tota universitate  
Christiana debet esse conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem fidei & bo-  
nos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari,  
nisi in ordine ad unum Caput, seu unum Præsidentem, ad quem spectet sen-  
tentiare quid credendum, & quid non credendum. Ergo, &c. An Christus  
constituens summum Pontificem ad definiendas ejusmodi  
controversias pro tota universitate Christiana, negavit quæ necessa-  
ria erant, ut certa esset ejus definitio, circa necessaria ad salu-  
tem?*

12. Infallibile iudicium Papæ in decidendis fidei contro-  
versis probat Michael Mauclerus Parisinus Doctor Sorboni-  
cus in libris de Monarchia Divina Ecclesiastica & seculari  
Christiana Parisiis an. 1622. editis, & Gregorio XV. ac Lu-  
dovico XIII. Regi Franciæ dicatis 2. part. lib. 4. capp. 4. §.  
6. & 7. eamque communem esse in Scholis Theologorum  
sententiam asserit dicto cap. 4. his verbis; *Hac illa communis sacra  
sapientia Professorum, qua docetur in Scholis, assertio, disceptationum causa-  
rumq; de fide cursorum, motumq; Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis  
consopitum iudicio finire. Sic senserunt Doctores Gallicani aliquæ  
schismatis, vel alterius dissidii occasione non exasperati.*

14. Ita ad autoritatem Joannis Gersonii ejusque sequa-  
cium respondet Andreas Duvalius part. 2. quæst. 1. Scio quidem  
in



in re Pontificia, Alliacensem, Gersonium, & Almainum non esse tantæ autoritatis, quia tempore schismatum floruerunt & scripserunt, duo priores, quando res se pro Pontificibus gerebant: postremus vero, nempe Almainus tempore Julii II. & Conciliabuli Twonenſis, quo Gallia sub Ludovico XII. à Sede Apostolica defecerat, &c. Aliam affert responſionem quæst. 4. ad nonum. Joannes Gerson, inquit, Jacobus Almain & Joannes Major celebres scholæ Parisiensis Doctores cum nonnullis aliis privilegium infallibilitatis Pontifici denegarunt, sed illud ei concesserunt alii, quorum quidam multo sunt illis celebriores, ut D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 10. Ad summum Pontificem pertinet ea, quæ sunt fidei definire, ut ab omnibus inconcusse à fide teneantur. Itemque D. Bonaventura singulare scholæ Parisiensis decus & ornamentum, & cujus doctrinam Gerson ad studentes in Collegio Navarra miris laudibus ad Calam usque extollit: Herveus Arvernensis, Henricus Gandavensis, & Joannes de Celais ambo Societatis Sorbonicæ: itemque Doctores illi, qui in Comitibus scholæ Generalibus errores Maleſoni condemnarunt, his verbis; Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet autoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei definire. Quo fit ut iniquè Vigorius me tanquam scholæ Parisiensis desertorem, & veluti perduellem scriptis suis traducere & proſcindere præsumat, præsertim cum, ut in Elencho contra Richerium aperte significavimus, nihil quidem à Facultate Parisiensis contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum.

14. Ludovicus Bail in apparatu ad Concilia quæst. 43. & sequ. non solum juxta S. Thomæ, quam supra declaravimus mentem, sed & per ipsa ejus verba respondet ad quæstiones de judicio Papæ in quæstionibus Fidei. Hunc, aliosque nonnullos citamus; quia licet fortasse non tanti sint ponderis: tamen cum Galli sint, Galliarum mentem testantur.

15. Denique tamen Universitas Parisiensis non nihil ab antiqua doctrina recessit; sed certis gradibus ac ferè invita. Namque adhuc mense Maio 1663. quo tempore ortum fuerat dissidium inter Alexandrum Papam, & Regem Christianissimum, prodiit Decretum cum hoc titulo; Declarationes sanctæ Facultatis factæ apud Regem Christianissimum super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi voluerunt adscribere. Quintus articulus erat iste; Doctrinam Facultatis non esse, quod summus Pontifex sit supra Concilium. Sextus; Non esse doctrinam, vel dogma Facultatis, quod summus Pontifex nullo accedente Ecclesie consensu sit infallibilis. Hic Facultas modo negativo respondet non esse doctrinam, &c. Apertius deinde locuta est

H h h 2 in



428 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
in censura librorum Jacobi Vernant anno 1664. & Amadzi  
Guimenei anno 1665.

16. Nihilominus antiquum usum nondum immutavit, ne-  
que mutare suadentibus obtemperandum duxit, de quo usu  
Andreas Duvalius; *Laudabilis*, inquit, in *Academia Parisiensi* viget  
*consuetudo*, qua *Baccalauri de questionibus Theologicis solenniter responsi*  
*protestationes pramittunt, se nolle quicquam contra Decreta sancta Matris Ec-*  
*clesia, necnon sancta Sedis Apostolica & Romanæ asserere, aut defendere,*  
*& si quid in actu disputationis adversus ejusmodi Decreta, illis exciderit, &*  
*ignorantia, vel immemoria, vel linguae precipitio attribuendum velle.*

17. Autoritati Universitatis Parisiensis adjungenda est, quam  
illa tam frequenter imploravit, cuique ut primum ultrò,  
ita deinde invita subjacuit, Senatùs Parisiensis autoritas. Ille  
igitur Senatus ad Ludovicum XI. per Joannem Lozellier In-  
quisitionum Cameræ Præsidentem, cujus oratio refertur à Pe-  
tro Puteano inter Tractatus de libertatibus Ecclesiæ Galli-  
canæ, ita Regem alloquitur art. 20. „ *Protestatur Curia Vestra*  
„ *Majestati se nullo modo propter quæcumque inferius di-*  
„ *cenda velle excellenti sanctitati, dignitati, honori, &*  
„ *autoritati nostri sancti Patris Papæ, sanctæque Sedis Aposto-*  
„ *licæ derogare: sed contra ei omnem honorem, reveren-*  
„ *tiam, & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholi-*  
„ *ci supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur, sicut ve-*  
„ *ros filios Ecclesiæ Matri sanctissimæ reddere, & exhibere:*  
„ *protestans insuper si quid dictum factumque à se fuerit quod*  
„ *correctione egeat, illud totum velle se omninò Ecclesiæ*  
„ *sanctæ Apostolicæ & Romanæ determinationi submittere,*  
„ *quæ errare non potest juxta Canonem. A recta 24. quæst. 1.*

## C A P U T X I I.

*Probatnr testimonio summorum Pontificum in questionibus  
Fidei Romani Pontificis judicium esse certissimum.*

1. **S**I summorum Pontificum tanquam in propria causa lo-  
quentium rejicienda esset autoritas, nec eorum Digni-  
tatis, Sanctitatis, aut meriti habenda ratio, pari vel potiori  
etiam



etiam ratione recusari posset Concilium Constantiense, cujus Decretis, quæ alibi examinata sunt, nititur hæc propositio, cum in propria etiam causa loqueretur. Verum nefas est de illis præsertim, qui sanctitate ac doctrina conspicui fuerunt, suspicari eos propriæ Dignitatis augendæ causâ doctrinam inducere voluisse, quæ, si erronea esset, totius Religionis Christianæ fundamenta concuteret.

2. Sanctus Innocentius à S. Augustino, & ab aliis Patribus tantopere commendatus epist. 25. ad Episcopos Milevitanæ Concilii an. 417. Romanam Ecclesiam ut fidei fontem perenniter fluentem exhibet; *Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitrator omnes fratres; & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris autorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Notentur hæc verba, non nisi ad Petrum, ad quem fidei quæstiones referuntur, dum referuntur ad ejus successorem; Quia nimirum sicut officio, sic & fidei firmitati officio necessariæ, succedit.

3. Relationes olim ad sanctam Sedem ex omnibus Christiani Orbis Provinciis, præsertim ex Gallia fieri solitas farentur Galli: sed forsitan responsiones non esse irreformabiles existimant. Contrarium S. Innocentius sentiebat, quando quidem epistolâ ad Episcopos Macedoniæ à Dionisio Exiguâ cum aliis collectâ, injuriæ adversus sanctam Sedem tribuebat, quod secundum consuleretur, quasi ejus sententia in dubium revocaretur. *Adverti, inquit, sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa curebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur.* Hanc etiam exceptionem excludunt multi Doctores, quorum testimonia supra reddita sunt, ut in eis observare licuit.

4. Sanctus Cælestinus Legatos mittens in Orientem, ipsis contendere prohibuit, præcepit verò de aliorum sententiis judicare: qua jussione significabat non esse ab Episcopis expectandum consensum, ut esset irreformabile Papæ judicium, sed per ipsius judicium, & per instructionem ab eo datam componenda, atque ad unitatem redigenda variè sententiarum



430 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Episcoporum suffragia. Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de  
viam sententiis dijudicare debetis, non subire certamen. Commonitor. Cæ-  
lest. apud Christianum Lupum ad Ephesin. Concil. varior.  
Patr. Epist. cap. 236.

5. Sancti Leonis Magni testimonium protulimus cap. 3.  
sed Launoius, ut illi vim detrahat par. 5. epist. 2. illud de  
S. Petro tantum, ac pro tempore Passionis dumtaxat inter-  
pretatur, malæ fidei accusans Bellarminum, quod omiserit  
eam partem, in qua Passionis fit mentio. Sed cadit hæc ac-  
cusatio, si reddatur pars alia testimonii, quam Launoius  
ipse omisit, & in qua sermo fit de tempore post Passionem.  
Sequitur enim; *Cum itaque dilectissimi, tantum nobis videamus pro-  
fudium Divinitus institutum, rationabiliter & iuste Ducis Nostri meritis, &  
Dignitate latamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori Nostro Jesu  
Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesie Principem fecit,  
ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur,  
illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est; Et tu confirma fratres tuos;  
& cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aterni amoris professionem  
mystica insinuatione ter dixit; Pascite oves meas: quod nunc quoque procul dubio  
facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohorta-  
tionibus suis, & pro nobis orare non cessans. Non enim Christus post  
Passionem Petro commisit oves suas, ut tempore Passionis eas  
pasceret; nec de illo tantum tempore intelligi possunt hæc  
verba; Quod nunc quoque procul dubio facit, &c. At inquires facit hoc  
Petrus cohortationibus suis & orationibus. Ita est; sed facit etiam  
quia, ut idem S. Leo dicit in serm. 2. in Anniversario Al-  
sumptionis suæ ante medium, in Romano Pontifice omnium  
Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, &  
ejus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Non est autem inuti-  
lis proposito Bellarmini S. Leonis autoritas, etiamsi partem  
tantum attulerit, nec quæ ex illa consequuntur, expresse-  
rit; quia scilicet cum ex verbis, quæ recitaverat, sequeretur,  
potestatem sancto Petro collatam, tanquam supremo  
Pastori, & ut fratres confirmaret; in promptu erat uni-  
cuique concludere, eadem potestate muniri, qui eidem offi-  
cio à Domino præponatur.*

6. Sancti Agathonis etiam testimonium jam reddidimus,  
sed multiplici telo Launoius illud impetit. Primò distin-  
guens



guens Apostolicam Christi Ecclesiam, (idest Romanam, de qua, ut fatetur Launoius loquitur Agatho) à Romano Pontifice. Sed ut jam alibi insinuavimus, inutilis est distinctio. Sufficit enim ut non errandi privilegium Ecclesie Romanæ concedatur; Planum est enim illud à Pontifice in Clerum derivari, idque verba ipsa Evangelii ab Agathone recitata ostendunt; *Ego autem rogavi pro te, &c.* Adde quod ad propositum nostrum satis est, ut Pontificis iudicium certum sit, antequam universæ Ecclesie consensus accesserit. Secundò distinguit Launoius jus à facto, notatque quod Agatho questionem facti non juris tractat, cum ait *Apostolica Christi Ecclesia, idest, Romana, à tramite Apostolica traditionis nusquam errasse probatur, aut Hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit.* Benè quidem Launoius, si ibi sisteret Agatho; sed causam continuò affert, quæ jus validius quàm factum adstruit. Prosequitur enim; *Quia dictum est Petro: Simon ecce Sathanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic Dominus solum Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse cunctis est agnatum.* Tertiò Launoius circa hæc ultima verba notat, Agathonem indefinitè scribere: *Apostolicos Pontifices Prædecessores confirmasse fratres suos: sed definitè non scribere Apostolicos Pontifices Prædecessores omnes confirmasse fratres.* Sed nonne juxta regulas Dialecticæ propositio indefinita de facto circumstantiis non limitato, æquivaleret universali? At, inquit Launoius, multi Pontifices secus fecerunt. Utrum aliqui præcepto implendo defuerint, sive defectu spei consequendi fructus, sive etiam per negligentiam, quæstio est de facto nequaquam juri præjudicans. Sufficit ut Pontifices præceptum sibi à Christo impositum de confirmandis fratribus scientes, regulariter & ordinariè illud cum autoritate, sæpe cum utilitate, præstiterint. Sancti Gregorii testimonium jam retulimus.

7. Nicolaus I. in epistola ad Michaellem Imperatorem privilegia sanctæ Sedi in persona B. Petri à Christo collata immota semper futura esse constanter affirmat, inter quæ illud sine dubio præcipuum est, ut vacillantes in fide confirmet, quemadmodum fecerat S. Leo erga Concilium Ephesinum secundum. *Quomodo, inquit, non egeat qualibet Synodus Romana Sedes, quomodo in Ephesino Latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Pa-*  
*triat-*



432 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
triarchis prolabantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est; Vicit Leo de tribu Juda; divinitus excitatus, os aperiens totum Orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret; Religio Catholica penitus corrumpisset. Et inferius; Cum Ecclesia Romana privilegia Christi ore in B. Petro firmata in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus servata, & à Sanctis Universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: & quod Deus statuit, firmum validamq; consistit, &c.

8. Parcus de privilegiis Ecclesiæ Romanæ Nicolaus, quam ad eum scribens S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus epistola lecta est in act. 3 octavæ Synodi, & in quarum Petri dignitatem & potestatem, tum ad successores transmissio- nem luculentissimè præstetur his præcipuè verbis; DIXIT PETRO MAGNO, ET SUMMO APOSTOLORVM, TU ES PETRVS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTA INFERI NON PRAEVALEBUNT ADVERSUS EAM. ET ITERVM; TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORVM: ET QUODCVMQVE LIGAVERIS SUPER TERRAM ERIT LIGATVM ET IN CÆLIS: ET QUODCVMQVE SOLVERIS SUPER TERRAM ERIT SOLVTVM ET IN CÆLIS. TALES ENIM BEATAS VOCES NON SECUNDVM QVANDAM VTIQVE SORTEM APOSTOLORVM PRINCIPI SOLVM CIRCUMSCRIPSIT, ET DEFINIVIT, SED PER EVM AD OMNES, QUI POST ILLVM SECVDVM IPSVM EFFICIENDI ERANT SUMMI PASTORES ET DIVINISSIMI SACRIQVE PONTIFICES SENIORIS ROMÆ, TRANSMISIT. Et ideo ab olim & prisco tempore in exortis heresibus, & perar- cationibus Eradicatores, & Interemptores malorum zizaniorum & labefactorum & penitus insanabiliter agrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem & summam paternitatem tuam illic præcesserunt, scilicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundum Christum est imitantes. Quibus verbis non solum B. Petri, sed & successorum ejus autoritas explicatur. Si quis eorum ponderi aliquid detractum velit, quod eo tempore scripta sint, cum S. Ignatius Romani Pontificis ope indigeret, animadvertat sanctum esse qui scribit, adeoque in rebus tanti momenti ab adulatione remotum; non illum dumtaxat sanctum Patriarcham Con-



Constantinopolitanum ad beati Petri Sedem confugisse: Epistolam ejus in Concilio generali lectam ab aliquo improbandam fore, si quid Episcopo Romano concessisset in præjudicium Concilii generalis.

9. Quod argumentum multò efficacius evadit, si animadvertatur plures epistolas, ejusdem autoritatis facientes mentionem perfectas, & similia elogia in favorem Romani Pontificis ab Episcopis, à Legatis, vel à Pontificibus ipsis prolata, contradicente nemine, fuisse. Quod jam de Legatis Cœlestini in Concilio Ephesino notavimus, de epistola Agathonis in sexta Synodo recitata, aliisque nonnullis. Id, si semel aut bis tantum contigisset, inadvertentiæ tribui posset; sed quomodo fieri potuisset, ut tantus Præsumptum numerus toties rem adedò insignem inattentâ mente audisset?

10. Quæ circa testimonia Sanctorum Leonis I. & Agathonis adversus Launoii objectiones notata sunt, valent etiam adversus ea, quæ Nicolai I. modò adductis, & Leonis IX. cap. 3. relatis, & ex parte etiam Innocentii III. mox exscribendis verbis opponit.

11. Sed repetendum est testimonium S. Leonis IX. ut ex ejus cum altero ejusdem Sancti collatione clarior fiat adversus Launoium ejus sententia. Igitur S. Leo IX. qui ab aliis VIII. tantum numeratur, antea Episcopus Tullensis, indefectibilem Romani Pontificis fidem Christi oratione impetratam non potuit luculentius explicare, quàm his epistolæ 5. quæ est ad Petrum Antiochenum, verbis; *Nimirum solus est ille (Petrus) pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus & salvator asseruit se rogasse dicens, Simon Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periculationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

12. Vox illa, creditur, etsi, quando de fide Divina est sermo, assensum omninò firmum significat, cum de opinione humana dicitur, dubitationem plerumque, aut suspensionem de contrario innuit, quod nimirum solus Deus erroris & frau-



fraudis expers sit. Itaque, ne quis in secundo sensu vocem illam interpretetur, afferendus est alius locus ex epistola prima ejusdem sancti Pontificis, ubi omni cum securitate, ac firmitate loquitur, ac mirum in modum explicat verba Christi toties laudata. Taliter, inquit cap. 6 epist. 1. sancta Ecclesia super petram, id est Christum, & super Petrum vel Cepham filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, adificata; quia inferi portis, disputationibus scilicet Hæreticorum, qua vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quæcumque sunt vera, porte inferi non pravelebunt adversus eam, cuius promissionis effectum se precibus impetrasse à Patre, idem filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon ecce Sathanas, &c. Erit ergo quisquam tanta dementia, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Audi jam quantam cum constantiâ privilegium B. Petri ad successores transiisse continuatâ omnium temporum experiatâ confirmet. Nomen à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eundem Petrum quam per successores suos reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, qua hætenus nec deficit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata.

13. Launoius hanc autoritatem elidere duplici præcipue ratione molitur. Prima interpretando eam de Ecclesia universali. Sed quàm sit consona textui glossa, judicet quicumque Latinam linguam intelligit. Convenit quidem Ecclesiæ universæ firmitas, de qua Leo in principio loquitur, sed specialiter Ecclesiæ Romanæ aptatur, quia scilicet ab ea in alias derivatur. Secunda Launoi responsio est, verum non esse quod ait Leo, à Petri Sede commenta Hæreticorum omnium expugnata esse; quod inductione nititur demonstrare: quasi possit Launoius scire, an non intervenerit autoritas S. Petri, aut successorum ejus, sive in principio, sive in progressu profligationis hæresum. Et intervenisse de facto contra nonnullas earum, quas enumerat, si opus esset, ex certis documentis demonstraretur, v. g. contra Pauli Samosatani, contra Eunomii & aliorum errores, ex S. Athanasii epist. ad Orthodoxos, Theodoro Eccles. hist. lib. 5. cap. 8. 9. 10. & 11. libello Synodico exstante in tom. 2. Juris Canonici veteris Christophori Justelli, Photio de Synodis, & epist. ad Michaellem Bulgariae Principem cap. 2. epist. Damasi ad Pau-  
li.



linum Antiochenum in collect. Rom. Holstenii par. 1. Et P. Labbe tom. 2.

14. Leonis testimonium confirmat his verbis Gregorius VII. in lib. 8. epist. 1. quæ est ad Simandensem Archiepiscopum; Quæ (Ecclesia Romana) per B. Petrum, quasi quodam privilegio ab ipsis Fidei primordiis à sanctis Patribus omnium Mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem semper habebitur in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. At enim Dominus Jesus: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Hunc locum profert Launoïus, ut verba illa, Ego rogavi pro te, ostendat non de solo Romano Pontifice, sed de Ecclesia Romana esse accipienda. Sed patet sanctum illum Pontificem hoc privilegium Ecclesiæ Romanæ eâ tantum de causa tribuere, quod illi Petri successor præsit. Hoc significat particula illa, enim. Ideò enim Ecclesia Romana est mater omnium aliarum, quia ei nunquam præfectus est, neque præficietur hæreticus. Ideò non est præfectus, neque præficietur hæreticus, quia Dominus rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus, scilicet neque in ipso, neque in ejus successoribus.

15. Superfluum esset posteriorum Pontificum hac de re testimonia proferre, cum nemo dubitet, eos suum in fidei questionibus judicium irreformabile æstimasse. Unicum igitur dumtaxat adducam, scilicet Innocentii III. qui verba Innocentii I. quæ principio retulimus, interpretabitur, si tamen cuiquam possunt videri obscura: Igitur Innocentius III. in epist. ad Episcopum Arelatensem docet majores causas, & præsertim quæ ad fidem pertinent, idè ad Romanum Pontificem esse perferendas, quod indefectibilis sit ejus, ut Petri, fides. Majores, inquit, Ecclesiæ causas, præsertim articulos Fidei ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse ne deficiat fides ejus.

16. Notat Launoïus Innocentium non dicere id, quod ad Sedem Apostolicam iudicandum refertur, ibi certò, & sine ullo erroris periculo iudicatum iri. Quid igitur sibi volunt illa verba, quæ rationem continent, cur causæ fidei ad Petri Sedem referendæ sint; Dominum exorasse ne deficiat fides ejus? Nam si certò & sine ullo erroris periculo iudicatum non eunt, Dominus quidem oravit, sed non exoravit. Exorasse



436 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
autem Innocentius, & plures alii affirmant. Apertius mentem suam explicat Innocentius serm. 2. in consecrat. Pont. Max. *Nisi enim ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere. Domino protestante; Ego, inquit, pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Rogavit & impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo fides Apostolica Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper & illibata permansit: ut Petri privilegium persisteret inconcussum. Jam etiam supra vidimus Innocentium I. ægrè tulisse quod sancta Sedes super iisdem quæstionibus secundùm consuleretur, quasi non esset indubitata prima ejus sententia.*

17. Agnoscunt omnes, etiam Gallicani hujus relationis necessitatem, cujus tot legerunt exempla Episcoporum sanctitate insignium, præsertim suæ nationis jam à primis sæculis, ut S. Victricii Rotomagensis, S. Exuperii Tolosani, S. Cesarii Arelatensis, & aliorum circa disciplinam; aliorum circa fidem & mores, ut jam olim S. Leo Magnus ad Episcopos Provinciæ Viennensis scripserit; *Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam Provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia. Sed unde oritur illa necessitas consulendæ sanctæ Sedis in causis majoribus, præsertim articulos Fidei contingentibus, nisi ex eo quod pro Petro Dominus exoraverit ne deficeret fides ejus, ut inquit Innocentius III. ac plures alii iam citati? Quisnam autem ex tot antiquis Episcopis Gallicanis huiusmodi causas ad Apostolicam Sedem referentibus existimavit reformandum, aut reformabile esse illius judicium.*



## CAPUT XIII.

*Quàm sit Generalis in Ecclesia consensus de irreformabili judicio Romani Pontificis in fidei quæstionibus.*

1. Communis adè est hæc doctrina de infallibili Romani Pontificis judicio in quæstionibus fidei; ut hanc ipsam conditionem habere videatur, quâ cum Illustrissimi Præfules Gallicani judicium illud irreformabile esse profitentur; ut scilicet Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Etenim tot tantique Doctores ex omni natione, ex omni facultate, ex omni ordine eam defenderunt, ut nesciam quid, ad eam totius Ecclesiæ adscribendam, desideretur. Eorum Catalogum texerunt multi, præsertim Theophilus Rainaudus in opusculo inscripto *ἀπόδειξις*, ubi, puncto scilicet undecimo, hanc esse totius Societatis Jesu sententiam affirmat, enumeratis quamplurimis ejus Doctoribus, quorum multi tempora controversiarum occasione Libri Cornelii Jansenii motarum antecesserunt, ne putes eam à Societate ad faciliorem Jansenii oppugnationem advocatam, sed veritatis & religionis studio jam olim delectam. Eandem cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alii quasi certatim: quamvis privatus aliquis Principibus additus à majorum ac fratrum semita interdum recedat.

2. Jam supra notavimus D. Petrum de Marca testari eam omnibus Universitatibus esse communem, contrariam autem, quam antiquis tantum Parisiensibus (puta Gersonio & ejus cœtaneis aut superioribus) tribuit, solum ab Ecclesia tolerari. Emissus fuit in lucem anno 1682. liber cum hoc titulo; *Doctrina quam de primatu, auctoritate ac infallibilitate Romani Pontificis tradidit Lovanienses sanctæ Theologiæ Professores tam veteres quam recentiores, in quo quamplurimi enumerantur. Sperandum est idem à cæteris Academiis præstandum. Porro Lovaniensis ita judicium Papæ reformabile esse non censuit, ut tanquam fidei regulam proposuisset anno 1544. nam inter articulos circa fidem Orthodoxam editos, iste vigesimus quintus est; certi fidei tenenda sunt*



sunt non solum qua Scripturâ expressè sunt prodita, sed etiam qua per traditionem Ecclesia Catholica credenda accepimus, & qua definita sunt super fidei & morum negotiis PER CATHEDRAM PETRI, vel per Concilia Generalia legitime congregata.

3. Doctoribus jam adductis paucos adjungemus, quia vel Galli, vel à Launoio citati, vel pietate ac doctrinâ conspicui extiterunt. Scribebat Alexandro III. Petrus Blesensis episcopus. 68. Sicut eminentiam Apostolica Sedis magistrâ omnium Ecclesiarum profitemur: Sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustiis solatia, responsa in dubiis expectamus. Si erraret magistra omnium Ecclesiarum, errarent omnes Ecclesiae, atque aded uniuersa Ecclesia, quæ nonnisi ex illis constat, ut sæpè notauimus.

4. Hugo seu Ugo de S. Caro à Launoio citatus sic interpretatur hæc verba Joan. ult. Dicit Simoni Petro Jesus. Nota quod specialiter loquitur Petro soli, alios preteriens. Cur hoc? Respondemus. Eximus Apostolorum erat Petrus, & os Apostolorum, & vertex Collegii. Idem & Paulus ascendit videre Petrum præ aliis Gal. 1. Ita ergo Petrus erat vertex Collegii, ut prætermittis aliis cum solum tanquam Collegium integrum repræsentantem Christus alloqueretur: ita erat aliorum os, ut pro omnibus respondere posset, aliis etiam non consultis.

5. Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ Parisiis Discipulus, deinde in ejus urbis Academia Doctor, ac denique Professor, de potestate Ecclesiastica quæst. 10. art. 3. sic scribit; Papam posse aliquid addere supra illa quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. Utroque modo potest Papa aliquid addere super illa, quæ sunt fidei: quæ SI ALIQUA SUNT DUBIA, ET OBSCURA IN FIDE, AD EVM PERTINET INTERPRETARI, ET DETERMINARE. POST CUIVS DETERMINATIONEM HÆRETICVM ESSET CONTRARIVM PERTINACITER ASSERERE.

6. Nicolaus Liranus ad hoc verbum, confirma. Luc. 18. addit; Hoc dicit ei (Petro) quia Ecclesia erat sibi committenda, ut habetur Joan. ult. ubi ter dicitur ei à Christo. Pasce agnos meos. Ex hoc etiam patet, FIDEM NON DEFICERE VSQVE AD FINEM MVNDI IN ECCLESIA ROMANA, QVA A PETRO POST CHRISTVM SVM DATA EST.



7. Dionysius Carthusianus, cujus etiam autoritate utitur Launoius, in hæc verba; *Ego autem rogavi pro te. Item, inquit, quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Unde quod dicitur, ut non deficiat fides tua, exponitur, ut non deficiat fides Ecclesia tibi committenda.* Hæcenus videtur Ecclesiæ tantum universæ indeficientem fidem adstruere: sed ecce unde in reliquis Ecclesiis hæc fidei firmitas derivetur; SICQUE EX VERBIS HIS SYMITVR ARGUMENTVM, QVOD FIDES ROMANÆ ECCLESIAE, QVAM IN EA PETRVS PLANTAVIT, SIT VSQVE IN FINEM SÆCVLI DVRA TVRA.

8. Quoniam Launoio Dominicum Bañes tanquam sibi faventem adducere placuit, referamus ejus hæc de re doctrinam, ex qua cuncta, quæ hæcenus dicta sunt, confirmantur. Bañes igitur in 2. 2. S. Thomæ quæst. 1. art. 10. hæc ponit conclusiones. Conclusio prima. *In publico fidei judicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico Praside vel summo Pontifice, neque Romana Sedes à Pontifice Romano.* Vide jam quomodo faveat Launoio illum citanti, ut probet Christi orationem pro Petro factam, ne fidem unquam amitteret quantumvis tentaretur à diabolo, sed in ea & gratia Dei tum demum perseveraret, quasi ultra processurus non esset orationis effectus. Hæc est quarta Conclusio. *In publico fidei judicio non potest summus Pontifex errare.* Hanc Conclusionem asserit D. Thomas; & citatis multis aliis Autoribus subjungit; QVOCIRCA ARBITROR HANC CONCLVSIONEM TANQVAM APOSTOLICAM TRADITIONEM ESSE TENENDAM. ET QVIDEM, VT TALIS HABERETVR AB OMNIBVS FIDELIBVS, NISI A TEMPORE CONCILII CONSTANTIENSIS IN AGRO DOMINI INIMICVS HOMO, ID EST DIABOLVS, ZIZANIAM VPPERSEMINASSET. ETENIM VSQVE AD ILLA TEMPORA SOLI GRÆCI ERRABANT IN HAC TARTE. Atque ita D. Thomas in *resp. citato* hunc errorem tanquam Græcorum singularem narrat. Et procul dubio, si quæstio hæc ad Concilium deferretur, non dubito quin prædicta Conclusio desinere tanquam vera fides.

9. Non magis faveat Launoio Maldonatus, cujus etiam testimonio usus est. Maldonatus enim super verba multoties repetita; *Ego autem rogavi pro te, &c.* sic scribit; *Quodq; dicit Petro, ejus quoque Successoribus totiq; Ecclesia dictum putandum est; tamq; certi debemus esse Successorum Petri, totiusq; Ecclesia fidei non desituri, quam*



quam certi sumus ejus, cum tentatus est, fidem non defecisse. Obscuritatem fortassis pareret totius Ecclesie cum Petro in illis verbis conjunctio: sed eam tollunt quæ sequuntur; itaque rectè ex hoc loco antiqui, gravesq; autores collegerunt Ecclesia Romana, & Successoribus in ea Petri fidem fore perpetuam. Omnis enim Ecclesia fides asserbatur in Petro, qui Ecclesia Caput futurus erat. Et super hæc verba; Et tu aliquando, &c. Hinc demum manifestum est, nec de illo solum tempore, quo negavit Petrus, nec de illo solum Petro; sed de omnibus ejus Successoribus loqui Christum. Nec enim tempore Passionis ceteros Apostolos Petrus consumavit; & confirmandi alios necessitas perpetua futura erat. Itaque IN PERSONA PETRI OMNES PETRI SUCCESSORES IUBET FRATRES IN FIDE SERVARE. QVOMODO FIRMARE POSSVNT, SI ERRARE IPSI POSSVNT? PROPTEREA ENIM CHRISTVS PRO FIDE ORAVIT PETRI, NE DEFICERET, VT ALIOS CONFIRMARE POSSET, INTELLIGENS ALIOS CONFIRMARE NON POSSE, SI EIUS FIDES DEFECISSET. Id etiam significat illud, aliquando, idest si quando opus erit, si quis in fide aliquando mutabit.

10. Si extra Galliam Autores quæreremus Gallis opponendos, qui tempore Concilii Constantiensis doctrinam invexerunt autoritati Romani Pontificis adversam, non defuturi essent, qui nec doctrinam inferiores, & vitæ sanctitate Ecclesie iudicio essent superiores. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis celeberrimus libertatum Ecclesie Defensor, & Martyr epist. 97. edit. P. Christiani Lupi, quæ est ad omnes Episcopos Angliæ. Quis Romanam Ecclesiam, inquit, Caput omnium Ecclesiarum & fontem Catholica doctrina ambigit esse? Quis claves Regni Cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide & doctrina Petri totius Ecclesie structura consistit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? . . . . . Quicumque sit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in fide Petri, & doctrina ipsius acquiescit, &c. Et epist. 122. quæ est ad Gilbertum Londoniensem Episcopum; Solus infidelis, aut qui eum errore superat, hæreticus aut schismaticus Apostolicis obedire mandatis. Vide epist. 69.

11. Circa ipsamet tempora Concilii Constantiensis floruerunt, in Italia præsertim, sanctissimi Doctissimiq; viri, qui Romani Pontificis autoritatem strenuè propugnarunt, quos



quos inter sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cujus mentionem supra fecimus, in summa Theologica par. 4. tit. 8. cap. 3. §. 5. irreformabile declarat iudicium Papæ his verbis; LICET PAPA IN PARTICVLARI ERRARE POSSIT, VT IN IVDICIALIBVS, IN QVIBVS PROCEDITVR PER INFORMATIONEM, ALIAS IN HIS QVÆ PERTINENT AD FIDEM, ERRARE NON POTEST, SCILICET VT PAPA IN DETERMINANDO, etiamsi ut particularis & privata persona. Unde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem quam in iudicio presertim, quam opinioni quorumcumque sapientium. Papam autem Concilio superiore esse pluribus probat in 3. par.

12. Beatus Joannes de Capistrano de Papæ & Concilii, siue Ecclesiæ autoritate 3. par. 2. Principalis, eandem superioritatem, quæ infallibilitatem iudicii circa fidem necessario supponit, adstruit variis rationibus, quarum una hæc est; *Succedit*; inquit, NAMQVE PAPA LOCO PETRI IN EADEM PERFECTIOE POTESTATIS, ET VICARIATVS DIGNITATE, QVA ET IPSE B. PETRVS A CHRISTO EVIT IN VNIVERSALI ECCLESIA SVBLIMATVS.

## CAPUT XIV.

*Respondetur argumentis, quæ autoritati Papæ in decidendis infallibiliter Fidei quæstionibus opponuntur.*

1. EX iis quæ adversus privilegium non errandi in decidendis Fidei quæstionibus objici solent, duo tantum alicujus momenti videntur. Cætera enim vel parvi ponderis sunt, vel jam aliâ occasione soluta. Primò igitur objicitur inutile fore Conciliorum Oecumenicorum convocationem ad dirimendas circa fidem controversias, si solus Pontifex certò, ac sine ullo erroris periculo eas posset definire; cum tamen videamus summos ipsos Pontifices, Imperatores, Episcopos nullis curis, nullis impensis, nullis laboribus pepercisse, ut celebrarentur Concilia Generalia. Objicitur secundo errasse de facto plures Pontifices in causis fidei; atque adeò, cum necessaria sit ab actu ad potentiam consecutio,

K k k

cutio,



442 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
cutio, potuisse in suis judiciis falli, qui revera decepti  
sunt.

2. Quod ad Concilia spectat, utilitas à necessitate distin-  
guenda est; & necessitas quidem, aut ex ipsa re nascitur,  
aut ex personarum quibuscum agitur conditione. Concilio-  
rum præsertim Generalium maximam esse utilitatem nemo  
inficiatur. Necessaria etiam illa esse ad frangendam Hæreti-  
corum pertinaciam plurima confirmant Ecclesiasticæ historiæ  
exempla: an autem ad certitudinem iudicii omninò iis opus  
sit, quæstio est, & affirmantibus incumbit onus probandi:  
cùm, ut lib. 5. cap. 10. probavimus; Scriptura sacra Pontifi-  
ci clarè suffragetur, & ejus iudicii certitudinem multis proba-  
tionibus jam constituerimus.

3. Non colligitur illa necessitas ex summorum Pontificum  
ad congreganda Concilia consensu, vel etiam curâ & solici-  
tudine: quia cùm summus Pontifex diligentiam adhibere  
teneatur, quam requirit negotii gravitas, & patitur rerum  
status, nec modò Scripturas, sed & traditiones scrutari; nul-  
la est convenientior assequendæ veritatis ratio, quàm si to-  
tius orbis Christiani Episcoporum sententia requiratur, ac sin-  
gularum Ecclesiarum traditiones, & singulorum Pastorum  
sententiæ inter se conferantur. Itaque quantum commode  
fieri potest, non est prætermittenda ea investigandæ veritatis  
via, quæ utinam semper præsto esset. Illam suo exemplo  
primus Pontifex Petrus præmonstravit.

4. Etenim quamvis B. Petrus, cùm loco proditoris Judæ  
substituendus esset alius, qui Apostolico fungeretur officio,  
potuisset eum eligere; tamen præ humilitate ac prudentia  
non solum alios Apostolos, sed etiam reliquos fideles congre-  
gatos, electionis participes effecit, ut observat S. Joannes  
Chrysostomus homil. 3. in Act. Apost. ubi post hæc verba;  
*Viri fratres, oportet eligere è nobis*, addit; *Multitudini permittit iudicium,*  
*simul eos qui eligebantur, reddens reverendos, & se ipsum liberans ab invidia*  
*simultateq;, quæ poterat à cæteris oberiri. Nam & semper ingentia gignit*  
*mala. Et infra: An non licebat ei eligere? licebat, & quidem maxime.*  
*Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. . . . . Caterum senten-*  
*tiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans suam non esse, sed è superni*  
*profectam, juxta prophetiam. Itaque recitator fuit, non præceptor.*

5. N<sup>o</sup>



5. Natura pares non gignit; peccatum ad ambiendum præ aliis & in alios Principatum impellit: ut etiam inter Apostolos fuerit contentio, quis eorum videretur esse major; quod diffidium noluit Christus componere assignato unicuique suo ordine, sed potius præscriptâ humilitatis formâ, ut quisque alteri se supponere contenderet. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. 22. vers. 26. Quamobrem, excepto Petro, quem aliis præposuit, nullum inter eos potestatis discrimen constituit. Itaque ut levius sit subjectionis, & obedientiæ jugum, communi concordia, ac regiminis suavitati expedit, ut rectores quæ propriâ autoritate efficere possent, communi subditorum consilio exequantur. Nil igitur mirum, si in Christi familia, in qua pax summa, & humilitas tantò profundior, quantò quis altiori eminet dignitate, vigere debent, Romanus Pontifex cum fratribus suis communi sententiâ quoties & quantum commodè potest, graviora Ecclesiæ negotia gerere studeat, etiam si solus possit.

6. Præterea qui ad Concilia accedunt, vel Fideles sunt, vel Hæretici: si Fideles, instruuntur non tantum de veritate, quæ fortè ipsis erat occulta, sed etiam de causis, ac rationibus, ut juxta præceptum Apostoli sint parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quæ in ipsis est. *spe. 1. Petri cap. 3. vers. 14.* Cumque ex cunctis orbis Christiani partibus aliquis in Conciliis Oecumenicis interfit; *in omnem terram exit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Hæretici autem convincuntur ab omnibus, disjucantur ab omnibus. *1. Corint. cap. 14. vers. 24.* Et vel convertuntur, vel confunduntur, & à Christi gregè separantur, ne alios secum in ruinam trahant, ut pluries in Conciliis factum legimus.

7. Frequenter enim non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est iudicium, & ne qua supersit injustitiæ, vel obreptionis suspicio, aut prætextus, examinanda est illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda suffragia, ut & procedendi ratio, & Senatorum numerus, ac Senatûs dignitas & majestas obstruant os loquentium iniqua; cujus diligentia tunc major est necessitas, cum Hæretici vel Sæctatorum numero, vel potentiâ sæculari, vel aliâ quâpiam autoritate



444 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
pollent. Ideo Adrianus II. epist. 2. ad Basilium Imperatorem  
scribebat; *Volumus ergo per vestrae pietatis industriam numerosum celerum  
Concilium, cui vestri quoque ministri praesidentes, & culpae personarum  
que differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt,  
singulorum liberè discretionem exerceant; in quo videlicet sacro actu exerciti  
vanitatis Concilii, quod adversus Sedis hujus actum est prorsus injuriam, cuncta  
decernimus exemplaria prorsus à possessoribus suis ablata in medium, delata  
contemplantibus cunctis igni cremari; nec superesse apud quemlibet ex his om-  
nibus saltem unum iota, vel unum apicem, nisi forte quis totius Clericatus,  
immo totius Christiani nominis dignitate anathemate percussus carere volu-  
rit, &c.*

8. Circa dogma etiam, quantumvis certum sit, aliqua  
interdum utendum est oeconomicè, ut libentius recipiatur;  
quæ quatenus adhibenda sit, in plurimorum Cœtu facilius  
agnoscitur. Ita in Concilio Jerosolymitano, quod Act. 15.  
describitur, licet B. Petrus suâ sententiâ veritatem certò al-  
fecutus fuisset; scilicet, non esse circumcidendos, qui ad  
fidem convertebantur; *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cer-  
vices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus;*  
tamen S. Jacobus huic sententiæ addidit; *scribendum, ut abstine-  
rent se non solum à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, sed  
etiam à seffocatis & sanguine;* nimirum, ne, si Moyfi, qui  
maximo ubique ab aliquibus in honore habebatur, lex tota  
statim rejiceretur, multi ejus veneratores à suscipienda Christi  
fide retardarentur; *Quod temperamentum omnibus placuit.*  
*Licet Petrus à Deo electus esset, ut per os ejus audirent gentes verbum Evan-  
gellii, & crederent;* tamen ad controversiam, quam solus po-  
tuisset definire suavius & convenientius componendam, Con-  
cilium haberi consensit. Verùm se aliorum consilio non om-  
nino indigere ad assequendam veritatem fidei satis indicavit,  
dum primus sententiam ferens, illam adeò indubitam ha-  
buit, ut illi sine tentatione Dei contradici non posse intre-  
pidè affirmaverit; *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super  
cervices Discipulorum, &c.* Act. 15. Quod verò à S. Jacobo addi-  
tum est, temperamentum erat partim lumine naturali notum,  
partim temporarium & prudentiale.

9. Quia autem summi Pontificis judicium idè minoris  
faciunt, quia non ita suscipitur ab omnibus, ut aliqui, vel  
etiam



etiam multi non repugnent, & Concilium Generale postulent; non advertunt similiter Ecclesiæ universæ sententiam contemni. Sunt enim innumeri Hæretici, qui Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnant. Imò in hoc sunt Hæretici. Atque si quis attentè consideret res in Conciliis Generalibus tractatas, comperiet eas plerumque aded non fuisse dubias, ut Patres ad Hæreticorum voces, tanquam ad Blasphemias execrandas inhoruerint, aliquando etiam aures occluserint, ne vel auditâ impietate polluerentur. Hæreticorum illud est ingenium, ut & summi Pontificis, & Concilii, & Ecclesiæ universæ doctrinam aliquando fraudulenter eludant, & occultè rejiciant, aliquando vi apertâ impetant, & impugnent, quod nihil ejus veritati, ac certitudini detrahit.

10. Quamobrem sæpè significarunt summi Pontifices ad Concilia Generalia scribentes se non doctrinam eorum examini subijcere, sed tanquam indubitata ab omnibus recipendam eorum operâ optare. Hoc testatur Commonitorium Papæ Cœlestini Episcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem, supra citatum. Eo etiam pertinent hæc S. Leonis verba in epist. ad Concilium Chalcedonense; *Nunc in Vicariis meis assum, & jam dudum in fidei Catholica prædicatione non desum; ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non potestis dubitare quid cupiamus.* UNDE FRATRES CHARISSIMI, REJECTA PENITVS AVDACIA DISPUTANDI CONTRA FIDEM DIVINITVS INSPIRATAM, VANA ERRANTIVM INFIDELITAS CONQUIESCIT, NEC LICEAT DEFENDI, QVOD NON LICET CREDI; CVM SECVNDVM EVANGELICAS AVTORITATES, SECVNDVM PROPHEATICAS VOCES, APOSTOLICAMQVE DOCTRINAM, PLENISSIME ET LVCIDISSIME PER LITTERAS, QVAS AD B. MEMORIAE FLAVIANVM EPISCOPVM MISIMVS, EVERIT DECLARATVM, QVÆ SIT DE SACRAMENTO INCARNATIONIS DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI PIA ET SINCERA CONFESSIO.

11. In epistola 1. S. Agathonis ad Imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium, quæ lecta est in act. 4. Concilii sexti Generalis plurima sunt, quæ judicium Romani Pontificis ut certissimum à Conciliis Generalibus recipi docent. Ejusmodi sunt ista; *Cujus (Petri) annitente præsidio, hæc*



*Apostolica ejus Ecclesia nunquam à vi veritatis in qualibet erroris parte deflecta est, CUIVS AVTORITATEM, VTPOTE APOSTOLORVM OMNIUM PRINCIPIS, SEMPER OMNIS CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA, ET VNIVERSALES SYNODI FIDELITER AMPLECTENTES, IN CVNCTIS SECVTÆ SVNT, &c. Non minorem præferunt securitatem ac certitudinem epist. ejusdem Agathonis simul & Romanæ Synodi ad eisdem Imperatores.*

12. Adrianus I. eadem constantiâ scribit epist. 2. ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum. *Sed vestra Sanctitas, inquit, eisdem piissimis Imperatoribus & Triumphatoribus alacriter suggerat, ut imprimis Pseudosyllogus ( id est falsus cœtus seu conventus ) ille, qui sua Apostolica Sede inordinatè & insyllogisticè factus est adversus venerabilium Patrum traditionem contra Divinas imagines anathematizetur, præsentibus Apocryphis nostris, & omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, & Domini Nostri Jesu Christi sermo compleatur; quia porta inferi non prevalerunt adversus eam: Et rursus: Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quacunque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis.*

13. Non soli Pontifices supremam hanc auctoritatem sibi tribuerunt. S. Flavianus Constantinopolitanus epist. ad S. Leonem, quæ refertur in actis Concilii Chalced. part. 1. num. 4. solam S. Leonis auctoritatem sufficere affirmat ad extinguendam Eutychetis hæresim absque convocatione Concilii Generalis. Itaque Chalcedonense, quod postea fuit habitum, necessarium non fuisset, nisi hæresiarcha ille ope Dioscori Patriarchæ Alexandrini, & Chrylaphii Theodosii Junioris Imperatoris Eunuchi ope Episcopos in latrocinio Ephesino ad suas partes vi armatâ traxisset, aut in exilium mittendos curasset, quod horrendam in Ecclesia Orientali pepererat confusionem. Similes causæ, non autem incertitudo iudicii summorum Pontificum in causis Fidei, aliorum Conciliorum Generalium celebrandorum necessitatem induxerunt. Sunt autem hæc S. Flaviani verba in epist. prædicta; *CAUSA EGIT SOLVM MODO VESTRO SOLATIO ATQVE DEFENSIONE, quæ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere: Sic ENIM HÆRESIS QUÆ SVRREXIT, ET TVRBA QUÆ PROPTER IAM FACTÆ SVNT, FACILLIME DESTRVENTVR, Deo cooperante.*



ante per vestras sacratissimas litteras. REMOVEBITVR AVTEM ET CONCILIUM, QUOD FIERI DIVVLGATVR, quatenus nequaquam ubique sanctissima turbentur Ecclesia.

14. Non enim, inquit Barlaamus Episcopus Gyracensis ad amicos suos in Græcia constitutos scribens, EO QUOD SIT MAIORIS AVTORITATIS, ET MAGIS POSSIT GENERALE CONCILIUM, QVAM APOSTOLICA SEDES, GENERALIA AGGREGENTVR CONCILIA, sed quia incidentes quaestiones difficiliores sunt & majori indigeant discussione. Est autem summi Pontificis, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 25. de recip. & observan. Decret. Concil. discernere, an tanta sit difficultas, ut Concilii Generalis Concilio indigeat.

15. Joannes Monachus sup. 6. Decret. de sent. & re judic. ca. Ad Apostolica num. 3. verf. revocare. Concilii Generalis Consilium ad solemnitatem tantum requiri affirmat. Nota quod Papa sententiam suam non suppesuit correctioni vel emendationi de consilio Concilii seu aliorum, sed sua duntaxat emendationi reservavit, sed dicit quod super emendatione sententia sua consilium Concilii quæretet, & hac requisitio non est necessitatis, sed solemnitatis tantum; quia Papa sine Concilio potest procedere ad sententiam, cum habeat plenitudinem potestatis. 2. quaest. 6. Decret. 1. de penit. & remis. cum ex eo in fin. n. 4. Et Papa dat robur Conciliis non e contra sup. de elec. significasti.

C A P U T X V.

*Respondetur argumento à fictitiis Pontificum erroribus desumpto.*

1. **H**æretici antiqua Ecclesiæ monumenta diligentissimè pervolverunt, adversus Catholicam fidem argumenta perquirentes, speciatim verò adversus dignitatem & auctoritatem Romani Pontificis, quâ diligentiam quadraginta Pontificibus errorem affinxerunt. Verùm illi à Catholicis scriptoribus validissimè confutati sunt: & in plerisque quidem res erat admodum facilis, siquidem hæretici sententias suæ hæresi contrarias, errores vocaverant, vel aliàs contra historiam aut rationem non obscurè peccaverant; aded ut in numero,



mero, qui propter suam magnitudinem suspicionem aliquam incautis, aut nimium credulis ingesturus videbatur, nullus demonstratur hæreticus. Verum quia aliquorum innocentia, & in fide firmitas, vel propter defectum, vel propter obscuritatem antiquorum monumentorum non ita evidentibus argumentis ostenditur, Catholici quidam scriptores, veritatis, ut sibi videbatur, studio, sed fortasse verius a summi Pontificis potestate animo (quod de nonnullis sine temeritatis nota liceret affirmare) à partibus hæreticorum hac in re stare maluerunt, eorumque sententiam confirmare, quam pius erga sanctam Sedem aliorum Catholicorum affectum imitari, qui ejus Pastores ab hæresis accusatione strenue vindicarunt; alii aliquem unum, alii plures, alii omnes. Joannes Launojus in ea controversia aliquid novi adversus summum Pontificem detexisse sibi visus est, quod à nobis prætermissi non debet.

2. In primis par. 5. epist. 1. conatus est S. Stephanum non minus quam S. Cyprianum in errore circa Baptisma hæreticorum versatum probare; quia scilicet sicut iste nullorum, sic ille omnium omnino hæreticorum Baptisma probabat, modo Christi Baptisma esset. Hoc autem sic ostendere nititur.

3. Sanctus Augustinus in lib. de unico Baptismo cap. 14. asserit quod Stephanus Baptisma Christi in nullo iterandum esse censuit, & hoc facientibus graviter succensebat. In libro autem 3. contra Donatistas cap. 15. quod si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Marcion Baptisma consecrabat, integrum erat Sacramentum. Sanctus vero Cyprianus, inquit Launojus, epistolâ ad Tubaianum, scribit Marcionem non baptizasse in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ex quibus sic concludit; Quapropter nemini mirum videri debet, Doctorem sanctum (loquitur de B. Augustino) Romano Pontifici indeficientis iudicii privilegium nusquam adscribere, nec illum pro supremo, vel ultimo controversiarum fidei Judice habere. Quippe Judex talis nusquam errare debet, ut Stephanum hac in re errasse Augustinus significat, consentiens Baptisma qui verbis Evangelicis, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti non consecratur, cassum & irritum esse, contra quam Stephanus in epist. ad Africanos decreverat. Pluribus vitiis laborat iste discursus.

4. Primò enim falsum est S. Augustinum consensisse, aut sal-



saltem significasse Baptismum qui verbis Evangelicis In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti non consecratur, cassum & irritum esse. Dicit quidem Augustinus loco supra citato Baptismum, si ita consecratur, integrum esse Sacramentum; non tamen negat, Baptismum in nomine Christi collatum valere, quæ duo valde diversa sunt. Sciebat enim Magistrum suum S. Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. quem postea plures secuti sunt, quos citat Bellarminus de Baptismo lib. 1. cap. 3. validum putasse. De hujus sententiæ veritate non est modò quæstio, (eam optimè tractavit Bellarminus loco citato) sed de S. Augustini testimonio.

5. Secundò falsum est S. Stephanum docuisse Baptismum sine expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis valere. Contrarium testatur Firmilianus in epist. ad S. Cyprianum, inter cujus epistolas est ordine 75. in edit. Pam. & Rigal. Refertur etiam à Philippo Labbeo tom. 1. Concil. Sic enim scribit Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus de S. Stephano, & de aliis qui sancto huic Pontifici consentiebant; Illud quoque absurdum quo non putant querendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus sancti. Quibusdam interjectis addit: Non omnes autem, qui nomen Christi invocant, audiri, & invocationem suam consequi aliquid gratia posse Dominus ipse manifestat, dicens; Multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, & multos fallent. Nulla quippe differentia est inter Pseudo-Prophetam & Hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei, aut Christi, ita iste in Sacramento Baptismi fallit. Ex quibus colligitur illam invocationem Christi, de qua in hac materia fiebat sermo, supposuisse invocatam Trinitatem nominum Patris & Filii & Spiritus sancti, ut qui baptizabatur gratiam consequi possent.

6. Etenim S. Stephanus nihil innovandum statuerat: atqui certissimum est, Baptismum cum invocatione Trinitatis conferri solitum, hæc enim est antiquitas, quam retentam fuisse studio præsertim S. Stephani docet Vincentius Lerinensis infra citandus. Id etiam constat ex Tractatu, cujus titulus est; Non debere denuò baptizari qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sunt tincti. Exstat tom. 1. Concil. Philippi Labbei ante Concilium Carthaginense tertium sub S. Cypriano habitum; eumque prædictus Labbeus ex di&ione conjicit, Autoris esse ab ævo Cypriani parum distantis. Habetur etiam inter opera



450 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
S. Cypriani edit. Rigaltii. Hæc sunt verba illius Autoris ante  
medium tractatus. *Nec aestimes huic tractatui contrarium esse quod dicit  
Dominus: Ite, docete gentes, tingite eos in nomine Patris & Filii & Spiritus  
sancti. Quia cum hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia ob-  
servandum sit, & observari quoque solitum sit, &c. Atqui S. Stephanus,  
quod in Ecclesia observari solitum erat, omnibus modis ob-  
servandum volebat. Prosequitur autem continuò Autor; Est ta-  
men confidare oportet, quod invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis vi-  
deri, &c. Non ergo invocatio Trinitatis & invocatio Christi  
se se mutuò excludebant.*

7. Eusebius lib. 67. hist. Eccles. cap. 3. S. Stephani confi-  
lium exprimit his verbis; *Verùm Stephanus nihil adversus traditionem,  
quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè  
id tulit, scilicet quod rebaptizarentur ii, qui ab hæreticis bap-  
tizati fuissent, juxta traditionem quæ jam inde ab ultimis  
temporibus obtinuerat, secundum quam expressè invocanda  
erat sanctissima Trinitas.*

8. Si quando igitur S. Stephanus de Baptismo loquens  
Christi mentionem fecerat. Nunquam tamen docuerat Bap-  
tismum per solam invocationem Christi valere, absque in-  
vocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis; nec id  
de eo scripsit S. Cyprianus: nec etiam tradidit Marcionis  
Baptisma eo tantum fieri modo solitum, ut ex ejus appro-  
batione illa Stephani opinio colligi possit. Christi ergo men-  
tio eo pertinebat, ut affereretur Baptisma Christi, hoc est  
à Christo institutum, ac juxta formam ab eo præscriptam &  
in ejus nomine collatum, ab ipso virtutem habere, à quo-  
cunque conferretur; *Nec querendum esse, ut referebat Firmilia-  
nus, quis esset ille qui baptizasset, eo quod qui baptizatus esset, gratiam con-  
sequi potuisset invocata Trinitate. Sanctus quidem Cyprianus episc. ad  
Jubaianum hæc scripsit, quæ opponit Launojus; Quomodo er-  
go quidam dicunt foris extra Ecclesiam imò & contra Ecclesiam modo in nomi-  
ne Jesu Christi ubicunque & quomodocunque Gentilem baptizatum remissio-  
nem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubet  
in plena & adunata Trinitate. Verùm hæc verba non significant  
omissam fuisse invocationem sanctissimæ Trinitatis, sed bap-  
tizantibus ac baptizatis defuisse veram fidem Trinitatis, at-  
que ideo Christi nomen non potuisse vim Baptismo conferre.*  
9. Is



9. Is Cypriani sensus, præter illa quæ jam diximus, colligitur ex eo quod in tota illa epistola vim faciat in fidei rectæ defectu. Ita cum post initium epistolæ dixisset; De Marcione interim solo, cujus mentio in epistola à te ad nos transmissa facta est, examinemus an possit baptismatis ejus ratio constare: Dominus enim post resurrectionem Discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra. Itē ego & docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Subsumit, non negando Marcionem ita baptizasse; sed, cum malè de Trinitate sentiret, utiliter baptizare potuisse. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eundem asserit quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eundem unum Filium Christum de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit? qui peccata nostra portaverit, &c. Ex quibus verbis & ex historia Ecclesiastica constat Marcionem circa Christum errasse, sicut circa alias Sanctissimæ Trinitatis personas; atque adeò non est quod credamus ipsum in nomine solius Christi, potius quàm in nomine totius Trinitatis baptizasse.

10. Præterea (quod in Launoi Dialectica argumentum est efficacissimum) S. Augustinus in eo ipso loco, quem ipse refert ex lib. de unico Baptismo cap. 14. non dicit S. Stephanum censuisse valere Baptismum in solius Christi nomine collatum; sed (quod plus quàm negativum argumentum est) quod Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Quinam autem est Baptismus Christi, nisi quem Christus instituit, & cujus formam præscripsit?

11. Denique si Launoius S. Stephanum errasse contendat, necesse est ut ejusdem erroris conscium ac reum faciat ipsum S. Augustinum, cujus testimonio illius errorem probare nititur. Nam S. ille Doctor propugnavit adversus S. Cyprianum baptismum in nomine Christi datum, quem S. Stephanus adversus eundem defenderat, ut legere est in libris de baptismo contra Donatistas, in quorum §. tertio, quarto & quinto confutat epistolas ad Jubaianum, & ad Pompeium, quibus utitur Launoius. Præcipuè autem lib. 4. cap. 10. respondet his S. Cypriani verbis epist. ad Jubaianum; Aliud est eos qui intus in Ecclesia sunt, de nomine Christi loqui: aliud eos qui foris sunt, & con-



tra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare. Lib. autem 5. cap. 13. S. Stephani mentem & exponit & confirmat. Qui utique Stephanus, inquit, non propterea communicavit hæreticis, quia baptisma Christi, quod in eorum peruersitate integrum mansisse cognovit, improbare non ausus est. Ecce quod erat illud baptisma hæreticorum, quod S. Stephanus non improbat; scilicet quod in eorum peruersitate integrum mansisse cognoverat. Quomodo ad ista cæcutiit Launoius? Nimirum vehementi ad deprimendam sanctæ Sedis Dignitatem studio excæcatus. At addit Augustinus; Apostoli autem nihil quidem ex inde præceperunt, sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa quæ uniuersa tenet Ecclesia. Non errabat ergo Stephanus illam consuetudinem seruans & seruari præcipiens, quæ ab Apostolis orta fuerat.

12. Oculatior fuit Launoius in detegendo Stephani errore, quam Centuriatores Magdeburgenses, qui tantâ curâ in Pontifices inquisierunt, ut haberent quod obijcerent. Sanctum enim Stephanum prætermiserunt, non omissuri si quid erroris in eo prætexere potuissent, cum tot alios injustè accusauerint. Pudeat hodie Catholicum erroris accusare Pontificem, quem non solum moderni hæretici silentio, sed etiam antiqui Elogio commendarunt. Nam illud ipsum caput 14. lib. 1. S. Augustini de unico baptismo contra Petilianum Donatistarum Episcopum Constantinensem, quod citat Launoius sic incipit; sed volo solvat mihi iste questionem: quandoquidem cum Romana Ecclesia per ordinem commemoraret Episcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos Episcopatum illibatè gessisse confessus est. Cùm ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel, ut fieri, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. Gessit ergo illibatè Stephanus Episcopatum, ac nonnulli calumniosè potest accusari.

13. Tardiùs venit, in manus octava pars epistolarum Launoii, in quarum ultima idem argumentum versat, cumque responsum meditarer, comperi, si quid novæ difficultatis illuc occurreret, optimè fuisse discussum ab eruditissimo viro Emanuele Schelstrate, Antiquitatis illustratæ par. 2. cap. 5. præsertim art. 5. Quamobrem nihil necesse est circa epistolam illam immorari.



## CAPUT XVI.

*Respondetur quibusdam aliis exemplis à Launoio adductis.*

1. **I**nter B. Petri successores nullus est, qui tum ab hæreticis, tum ab iis Catholicis qui non errandi privilegium Romano Pontifici denegant, crebrioribus telis impetatur, quam Honorius I. In eum frequentius convertitur & validius infigitur Launoii stylus, sed ejus patrocinium susceperunt plures Catholici, ex quibus R. P. Franciscus Marchese Presbyter Oratorii Romani integrum volumen in ejus defensionem scripsit. Illic omnia quæ à Launoio contra Honorium allegantur, fusè subtiliterque discussa invenies; licet Autor Launoium non nominet, ejus, vel potius ab eo repetitis rationibus respondens: multa reperies quæ scorsim sumpta, multo magis aliis, quæ ejusdem non sunt ponderis (resistente scilicet antiquitatis obscuritate) adjuncta, æquo & bene affecto Judici sufficiant ad ferendam pro summi illius Pontificis fide, atque innocentia sententiam.

2. Si Launoius Eruditissimi P. Sirmundi, cui multum se debere fatetur, ob eam nimirum causam, quam notat Ludovicus Moreri in suo magno Dictionario Gallico, scilicet quod eum tanquam Magistrum habuerit artis censoriæ, seu critices, si, inquam, Discipulus Magistri pium erga sanctam Sedem affectum imitatus fuisset, Honorium ab omni erroris labe purum præstitisset. Nam quæ Pater Sirmundus monumenta ab Anastasio collecta edidit, certa sunt illius Pontificis fidei testimonia. Si testes eo majorem faciant fidem, quo & res quas narrant certius norunt, & ob vitæ integritatem, pietatem ac sanctitatem à mendacio magis abhorrent; duæ illæ conditiones in iis eminuerunt, qui pro Honorio adducuntur.

3. Joannes IV. Papa zelo fidei, misericordiâ erga pauperes, constantiâ, & vitæ sanctitate conspicuus triennio post obitum Honorii Apologiam scripsit pro eo, quia Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus hæresis suæ fautorem extitisse fal-



454 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
sò afferbat. In qua quidem Apologia Joannes explicat men-  
tem Honorii, quam ostendit à Monothelitarum errore valde  
fuisse diversam.

4. Eam autem interpretationem Joannes non pro suo erga  
Honorium affectu excogitaverat; sed ab eo ipso, qui Ho-  
norio ab epistolis fuerat, qui illas ipsas scripserat, quas Pyr-  
rhus pro se interpretabatur, quique doctrinà, & pietate to-  
tum Occidentem, teste S. Maximo, illustrabat, diligenter  
sciscitatus erat veram dictantis sententiam.

5. Sanctus erat Maximus, qui Honorium tum in dispu-  
tatione cum Pyrrho, tum in duabus epistolis paucis post  
annis defendit, atque adeò de mendacio minimè suspectus.  
Græcus erat, atque adeo nimio erga Ecclesiam Romanam  
studio minimè excæcatus. Coætaneus erat, & partem eorum  
quæ referebat, suis ipse oculis viderat, atque adeò verita-  
tis bene conscius.

6. Satis superque Launoio fuissent hæc testimonia, si Ho-  
norium defendendum suscepisset, ut eum innoxium demonstra-  
ret, & ea dilueret quæ summo illi Pontifici opponit epist.  
1. to. 3. & alibi, præsertim cum testimonia prædicta omni-  
bus, quæ adversus Pontificem illum proferuntur, antiquiora  
sint. Imò suffecisset silentium illustrium scriptorum satis an-  
tiquorum, v. g. Pauli Diaconi Aquileiensis, Theophanis,  
Georgii Monachi. Est enim illi admodum familiare istud ar-  
gumenti genus. Sed eam laudem non ambibat: ad oppug-  
nandum non ad propugnandum proclive erat ejus ingenium.  
Cumque receptis communiter opinionibus bellum frequentius  
indiceret, conjecturis supradictorum testimoniorum robore  
longè inferioribus uti cogebatur; quas tamen ceu demonstra-  
tiones habebat.

7. Liberii etiam exemplum commemorat Launoius. Pec-  
cavit ille quidem, ut verisimilius apparet: non tamen ali-  
quid fidei contrarium Ecclesie credendum proposuit. Certè  
qui summo Pontifici negant non errandi privilegium, quia  
Liberius exilii ærumnarum pertæsus S. Athanasii condemna-  
tioni, & formulæ fidei veritatem integram non explicanti,  
sed falsi nihil continenti subscripsit, pari ratione Concilia  
Generalia errori obnoxia fateri cogetur, quia Concilium Ari-  
minen-



minense Arianis ita favit, ut totus poenè orbis Christianus miraretur se esse Arianum, & secundum Concilium Ephesinum S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum à sua Dignitate dejecit; Eutichem hæresiarcham ob hæresim à Flaviano Synodicè dejectum restituit, ejusque errori non rejecto mutilo symbolo, patrocinatum est. Si autem Arimini, & Ephesi vim factam Episcopis, etiam verè Catholicis, fuisse respondeas: adeoque Concilio Oecumenico non esse tribuenda illorum gesta: similiter etiam quæ à Liberio fidei integram interiùs servante, extorta sunt, non debent ipsi, nisi ut privatæ personæ adscribi, quam à peccato tutam non facit Dignitas.

8. Peccatum autem Liberii alicujus hæresis promulgationem, aut etiam professionem non fuisse constat: quia fidei formula cui subscripsit, nullum exprimebat errorem; Vide quæ optimè notavit Joannes David Doctör Gallicanus dissertatione de judiciis Canonicis Episcoporum cap. 7. art. 3. Sed, ut jam diximus, neque istum, neque alium quenquam Pontificem aliquid fidei contrarium tanquam de fide credendum proposuisse plures ostenderunt. Itaque pauca tantùm adjicimus, quæ à Launoio, vel solo vel diligentius notata sunt.

9. Vel Bonifacium VIII. vel Clementem V. errasse ostendere nititur epist. 1. tom. 3. supra citatâ, quia Clemens V. constitutionem Bonifacii, quæ incipit, *Unam sanctam*, nullius esse, aut futuram esse roboris, & autoritatis decernit in cap. *Meruit. de privil. sed falsum est quod ait Launoius Clementem V. in cap. Meruit. Constitutionem, unam sanctam, nullius esse, aut futuram esse roboris decrevisse.* Declaravit enim duntaxat se nolle Regi aut Regno Francorum per dictam constitutionem aliquod præjudicium generari, aut ampliùs Regem vel Regnum quàm antea Ecclesiæ subjici. Notentur verba hæc, *ampliùs quàm antea. Hinc est (inquit) quod nos dicto Regi & Regno per definitionem, seu declarationem bene memoria Bonifacii Papa VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit, Unam sanctam, nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, Regnicole prælibati ampliùs Ecclesiæ sint subjecti, quàm antea existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad Ecclesiam, quàm etiam quoad Regem & Regnum superius nominatos.*



10. Nescio quâ fide possit Joanni XXII. invidia constari, quasi definerit animas corpore exutas nonnisi post iudicium finale Deum intuitivè visuras, cùm ipse tam apertè negaverit controversiam à se definitam. An solemnis definitio à summo Pontifice ita fit ut Ecclesiam lateat; cui nisi proponatur ut fide divinâ tenenda, solemniter haberi non debet? Mentem suam declarat Joannes epist. 1. *Ne super his quæ de animabus separatæ à corpore & purgatis, an citra resurrectionem corporum, Divinam essentiam visione illâ videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos quàm per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando & allegando Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum vel alias ratiocinando, sapius dicta sunt, aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur, ac dicantur, & auribus fidelium valeant inculcari: ecce quod nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus & habuimus, seriè præsentium declaramus. Fatemur siquidem & credimus quod anima purgata separata à corporibus, sint in Cælo, Cælorum Regno & Paradiso cum Christo in consortio Angelorum congregata, & videant Deum facie ad faciem, & Divinam essentiam clarè, in quantum conditio & status patitur anima separata.*

11. Si quis autem Joanni ipsi asserenti se contrarium antea non dixisse, nisi fortè recitando, & allegando Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel alias ratiocinando, fidem adhibere dubitet, confirmabitur testimonio Doctorum Parisiensium tunc temporis à Rege Francorum Philippo VI. seu Valensio consultorum. Ipsi enim cùm sententiam suam promere viderentur ob debitam summo Pontifici reverentiam, eò tamen adducti sunt, *Advertentes, inquiunt, quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia Sanctitas suas dixit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando. In hist. Univers. Paris. tom. 4. ad an. 1332.*

Julium II. errasse contendit, quia definiit Simoniam veram atque indubitatam hæresim esse, & Papam simoniacè electum non hæreticum modo, sed etiam hæresiarcham esse: verum Julius in ea Constitutione, quam sine dubio intelligit Launois, quæque incipit, *Cùm tam Divino, &c.* nihil definiit de Simonia. Est enim illius Constitutionis scopus impedire, ne summus Pontifex simoniacè eligatur. Eà occasione s. 1. hæresis Simoniacæ meminit, non definiens Simoniam esse hæresim, sed eam illo nomine notans,



notans, quo in Jure Canonico passim insignitur. Non definit etiam Papam simoniacè electum hoc ipso fore hæresiarcham, sed eisdem pœnis plectendum, quibus si hæresiarcha existeret. Si contigerit, inquit, electionem Romani Pontificis per Simoniacam hæresim celebrari. . . . . Electus non Apostolicus, sed Apostolicus, & tanquam Simoniacus (vel Simon Magus) & hæresiarcha, & ad prædicta omnia & singula perpetuò inhabilis habeatur & sit. Verbum illud sit, refertur, ut patet, ad verbum, inhabilis, non autem ad verbum hæresiarcha. Voces autem tanquam, & habeatur, aperte declarant Julium nullam hic definitionem constituere circa hæresim Papæ simoniaci, nisi fortè definitionem appelles simplicem nuncupationem in jure usitatam; sicut non definit hujusmodi Pontificem simoniacè electum fore Magum, Ethnicum & Publicanum, licet §. 3. permittat eum ut Magum, Ethnicum, Publicanum, & Hæresiarcham evitari.

13. Pluribus in locis, sed præcipuè epist. 5. tom. 1. Launoïus Sixti V. exemplum profert, ut probet posse Summos Pontifices errare. Et quia nonnulli Theologi hoc sibi exemplum objicientes, non satis aptè respondisse videbantur, variis facetiis eorum doctrinam exagitat; ut ita non solum eorum responsiones, sed & sententiam quam tuentur, ridiculam exhibeat. Verùm satis est ut legantur verba illa Sixti V. quæ Launoïus adducit, ut illa nullo modo ejus proposito favere Lector advertat. Sic enim Sixtus V. apud Launoïum habet: Illud sanè certum atque exploratum esse volumus nostros hos labores ac vigilias eò nunquam spectasse, ut nova Editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentina Synodi præscripto emendatissima, pristinaq; sua puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu stylog, prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. Addit Launoïus; Verba hæc virum sibi præfidentem, & de Bibliorum emendatione perfectissima securum objiciunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errasset. Possemus nos subungere; verba hæc Launoïum Pontificiæ Dignitati infensum, & præ nimio illam perseguendi ardore excæcatum objiciunt.

14. Quanam enim ex his Sixti verbis significant ipsum de Bibliorum emendatione perfectissima securum? An quia Pontifex declarat se eò spectasse, asserit etiam pervenisse? Semperne qui ad aliquem scopum tetendisse se affirmat, confidit etiam se eum



attigisse? Quinetiam, si Sixtus declarasset se *Bibliorum emendationem perfectissimam affectum*, ea verba de fidei certitudine nullatenus intelligi possent, sed tantum de morali, quæ post adhibitam accuratam diligentiam haberi potest. Non enim aliter accipi possunt illa verba, *quoad ejus fieri potest*, quam ut indicent id cum absoluta securitate asseri non posse.

15. At, inquit Launoius, *neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errasset*. Quasi verò error sola supremendorum Actorum causa sit. Emendaverat Sixtus V. editionem vulgatam peritissimorum virorum operâ usus. Emendationem illam, quamvis admodum utilem, ad perfectiorem statum, sive repertis novis Codicibus, sive habitâ aliorum peritissimorum Virorum copiâ, perducere posse animadvertens Clemens VIII. editionem Sixti non suppressit; sed eam perfectiendam, priusquam publicaretur, curavit. Quamobrem in lucem deinde fuit emissa, præfixis & Sixti & Clementis nominibus, ut videre est in variis editionibus exinde factis cum alibi, tum in Gallia.

16. Cæterum quis cum voluptate non contempletur Launoium inter tot conatus ad abrogandam Papæ infallibilitatem, tam diligenter, tamque frequenter Adriani VI. auctoritatem jactare; quasi cæteri Pontifices quamplurimi errassent, & omnes errare potuissent in proponenda Ecclesiæ universæ fidei doctrina; solius autem Adriani privati adhuc Doctoris, & antequam de Pontificatu vel ipse, vel alius quisquam pro eo cogitaret, infallibile fuisset judicium. At Pontifex factus sententiam non retractavit. Tot tamque gravibus negotiis & curis distentus fuit per illud tempus, aliunde satis breve, quo Ecclesiæ clavum tenuit, ut mirum non sit, eum de corrigendis Commentariis Scholasticis minime cogitasse. Sed etsi pristinam retinisset sententiam, num idcirco vinceret Launoius? An privata Pontificis opinio solennis definitionis loco habenda esset? An in deneganda sibi infallibilitate solum infallibilis existimandus esset Pontifex?



## CAPUT XVII.

*An iudicium Papæ sit infallibile, quod ei Ecclesiæ consensus accedat: an verò ei accedat Ecclesiæ consensus, quod infallibile sit.*

1. Quæcumque hætenus dicta sunt, eò tendebant ut ostenderetur iudicium Papæ in fidei quæstionibus esse certissimum, antequam accedat Ecclesiæ consensus; imò ideo Ecclesiæ consensum accedere, quia certissimum est. Tribuitur enim, ut animadvertere licuit, illa certitudo promissioni Petro factæ, aut orationi pro illo à Christo porrectæ, aut alii simili rationi, quæ indicat Romanum Pontificem, sicut in pascendi totius Gregis Christi, ac regendæ universæ illius Ecclesiæ officio; ita & salubris fidei ac morum pascus ab erroris veneno discernendi, & fratrum adversus hæresum status, per doctrinam à Patre cœlesti revelatam confirmandorum privilegio successisse. Id nihilominus in hoc capite specialius est ostendendum.

2. Illustrissimi Antistites Gallicani aliquid, & quidem eximium Summo Pontifici concedere voluerunt magnificis illis quartæ propositionis verbis; *In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejuſq; Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere.* Hinc ad minimum colligendum videtur omnes, & singulas Ecclesias iudicio Papæ in causis fidei stare debere, donec reformetur à Concilio universali, etiamsi nondum Ecclesiæ universæ consensus accesserit. Equidem hoc pacto schismati occurritur, si modò fideliter servetur ab omnibus & singulis Ecclesiis. Verùm (quæ est hominum conditio, ac propriæ sententiæ studium) difficile est, ut conquiescant partes, quamdiu iudicium prolatum errori obnoxium putabunt; itaque cum difficillima sit Concilii generalis congregatio, perpetuis diffidiis turbabitur Ecclesia. Cum autem innumera extant exempla hæresum absque autoritate Conciliorum generalium solo Romanorum Pontificum iudicio extinctarum, quod signum est illud tanquam infallibile fuisse susceptum; quor-



sum hodie præmissa commendatione obex apponitur, ne illi, utpotè reformabili internus præstetur assensus?

3. Nescio an aliquod habitum fuerit Concilium generale à primo Nicæno ad Tridentinum, quod absolute necessarium à Catholicis judicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Concilium Nicænum dubitabant Catholici; an Filius esset consubstantialis Patri, neque ante Constantinopolitanum; an Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri & Filio, & sic de cæteris Conciliis, quæ omnia necessaria fuerunt, non quod dubium esset inter Catholicos circa fidem, sed quod frangenda esset hæreticorum pertinacia, & inquirendæ viæ ad sistendum hæresis progressum, & promovendam fidei publicationem. Itaque Conciliorum congregatio nullum arguit erroris periculum in iudicii Papæ, quæ fortè præcesserant: e contra verò infallibilem eis certitudinem inesse ostendit præstitus ab Ecclesia universa consensus in damnatione infinitarum propemodum hæresum absque convocazione Concilii generalis, ut mox dicebam.

4. Certè si Papæ iudicium ante Ecclesiæ universæ assensum non est irreformabile, nescio quæ sint præcipuæ illæ summi Pontificis partes, & ejus Decretorum vis in omnes & singulas Ecclesias. Nam & cujuslibet, non solum Episcopi, vel Doctoris, sed etiam fidelis iudicium est irreformabile accedente consensu Ecclesiæ. Cùm enim Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, errori fidei contrario consentire non potest. Ne igitur inanis sit autoritas B. Petro collata, cùm in præmium suæ fidei constitutus est Ecclesiæ fundamentum; ne confirmandis fratribus inutilis fuerit Christi pro ejus fide indeficiente oratio; ne illius curæ commissum sit Christi ovile absque certa discretionem pascuorum, quæ oves impinguitura, aut infectura sint; neve transeunte ad ejus successores officio, non transisse quoque autoritatem dicamus; ut in fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes afferere liceat; ejusque Decreta ab omnibus & singulis Ecclesiis tutò recipi possint; ne deceptis universis & singulis Ecclesiis Ecclesia universa (quod fieri nequit) decepta inveniatur, affirmandum videtur Ecclesiam iudicio summi Pontificis idè consentire, quia est infallibile, & illa non nisi certæ veritati  
assen-



assentire potest; non verò illud iudicium ideo esse infallibile, quia Ecclesia ei consentit. Prius enim est rem esse certam, quam Ecclesiam ei consentire. Summus Pontifex est omnium fidelium Doctor, atque adeò suscipienda est ejus doctrina, quia certa est; non autem solum certa est, quia suscipitur. Illequidem Ecclesiae consensus signum est certitudinis iudicii, quia, ut diximus Ecclesia errori consentire non potest. At non est certitudinis causa, sed illam potius supponit.

5. Hanc esse mentem Ecclesiae, quæ in toto hoc libro adduximus, suadent argumenta. Sed præcipuè, quod ex universæ historię Ecclesiasticæ serie constat Ecclesias omnes, omniq; tempore ad Romanam recurrisse in dubiis circa fidem, & ejus responsa tanquam oracula suscepisse, idq; speciatim de Gallicana testatur S. Leo epist. 89. jam citatâ. *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam Provincia sacerdotibus immuneris relationibus esse consultam: & regula est ab universa Ecclesia recepta, causas fidei ad sanctam Sedem esse referendas; hanc tradidit S. Innocentius I. epist. 25. seu rescripto ad Milevitanum Concilium; Quoties fidei ratio ventilatur, arbitrator omnes Fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris autorem referre debere: renovarunt plurimi alii Pontifices, & executi sunt Antistites, præsertim, ut diximus, Gallicani. Absurdum autem esset dicere consultum fuisse Romanum Pontificem tanquam Jurisperitum, aut Doctorem aliquem privatum, cujus sententiæ stare, vel ulteriori examini subijcere liberum esset consulentibus. E contra in omnibus ferè hujusmodi consultationibus fit expressa mentio permanentis in Ecclesia Romana & in ejus Pontifice indeficientis fidei Petri. Postulatur ut pro ambiguitate tollenda confessio Episcoporum autoritate Sedis Apostolica firmaretur; quod docet exemplum S. Cæsarii Arelatensis: inter epistolas Bonifacii II. epist. 2.*

6. In tota historia Ecclesiastica paucissimi reperiuntur Catholici, qui solemnii Papæ iudicio circa fidem resisterint, eosq; omnes in errore versatos eventus comprobavit, quod adhuc signum est, illud certissimum esse antequam accedat Ecclesiae consensus; nec nisi ad convincendam hæreticorum obstinationem res iterum in Conciliis tractatas fuisse, an-



462 TRACTATVS DE LIBERTATIBVS,  
nuentibus ipsismet Pontificibus. Unde B. Augustinus, qui  
ut B. Cyprianum excuset, Concilium plenarium, sive gene-  
rale alicubi videtur exigere ad statuendum indubitatum dog-  
ma, in aliis locis sufficere iudicium Romani Pontificis affir-  
mat. Ita ferm. 2. De verbis Apost. causam finitam esse post  
Romanorum Pontificum rescripta, licet nondum finitus esset  
error, declaravit. Verba jam alibi retulimus. Et caput 50.  
lib. 2. retractationum sic inchoat. *Postea quam Pelagiana hæresis cum  
suis autoribus ab Episcopis Ecclesia Romana, prius Innocentio, deinde Zozimo,  
cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata est;  
scripsi duos libros adversus eos, unum de gratia Christi, alterum de peccato  
Originali. Illa autem convictio non potest intelligi de con-  
victione argumentorum vi facta, aut de illius hæresis extir-  
patione. (Alioquin enim non fuisset opus, ut D. Augustinus  
duos illos libros postea scriberet, nec tamdiu perstitisset  
error) sed de iudicio irreformabili. Neque autoritate illa præ-  
ditum erat iudicium ex eo quod accessisset Ecclesiæ consen-  
sus; tantum enim Conciliorum Africanorum fit mentio,  
quæ Ecclesiam universam representare nequaquam potuerant.  
Quamobrem sanctus Doctor epist. 157. quæ est ad Optatum,  
damnationem prædictorum hæreticorum per totum orbem  
tribuit autoritati eorundem Pontificum, Conciliis autem  
Episcopalibus (Africanis scilicet) solam vigilantiam, Caput  
(hæresis) vel autores, vel certè acerrimi notissimique suosores, cum  
Pelagius, & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopaliū vigilantia in ad-  
jutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus  
Antistitibus Apostolica Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi cor-  
recti etiam egerint penitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt.*

7. Animadvertite hic, prolatâ Romanorum Præsulum so-  
lemni sententiâ, damnationem in toto Orbe factam censeri;  
nondum enim Ecclesiæ universæ consensus accesserat, cum  
nondum constaret; an Episcopi encyclicas Summorum Pon-  
tificum litteras accepissent. Addit enim Augustinus: *De quibus  
exempla recentium litterarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universa-  
liter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarunt, ne fortè ad vestram sancti-  
tatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti ab eis fratribus, quibus & hæc  
litteras, ut tua venerationi dirigerent dedimus.*

8. Dum igitur S. Augustinus B. Cyprianum excusat S. Ste-  
phano



phano Papæ circa baptismi ab hæreticis collati validitatem resistentem; eo quod causa nondum fuisset à plenario Concilio definita, supponit iudicium illud non fuisse solemnem definitionem, quæ non nisi post examinatam, & agitatum cum ea quæ par est diligentiam causam profertur; sine qua diligentia vel à Conciliis etiam œcumenicis quæstiones ejusmodi definiti posse negat idem S. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 4. *Quomodo enim inquit potuit ista res tantis altercationibus nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationemq; perducì, nisi primò diutius per Orbis terrarum Regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractatam constaret? Apertius in capite immediatè præcedenti dixerat; Ipsa plenaria (Concilia) sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. Itaque non censebat irreformabilia esse Conciliorum iudicia, nisi debitam adhibuissent ad detegendam occultam, & latentem veritatem diligentiam, quo etiam sensu accipiendus esset sicubi videretur innuere, iudicium Summi Pontificis non esse irreformabile; ut scilicet intelligeretur de casu, in quo non præcessisset examen necessarium ad solemnem edendam definitionem. Quamquam non videtur Deus permissurus, ut vel Concilium generale legitimum, vel Summus Pontifex quidquam solemniter definiant, nisi præviâ discussione necessariâ ad omnimodam certitudinem. Alioquin enim liceret semper de illorum definitionibus dubitare, etiamsi nulla vis aperta intercessisset, ad eas extorquendas. Quomodo enim privati Christiani scire possent, quo quantove opus fuisset examine, ac utrum decisionem antecessisset?*

9. Atque ita sensisse S. Augustinum credendum est, nisi dicas, quod non est verisimile, ipsum solius Ecclesiæ universalis, non autem vel Concilii generalis, vel Summi Pontificis iudicium irreformabile putasse: quam doctrinam tradidit Panormitanus, inter Catholicos solus quem sciam.

10. Non recolo modo alium ex iis, quos Ecclesia veneratur ut Sanctos, præter Cyprianum tunc temporis errantem, Summi Pontificis iudicio circa fidei quæstionem repugnasse. Imò dum alius quis circa principalia disciplinæ capita à Romano Pontifice dissenfit, sequiorem partem secutus fuisse totius Ec-



Ecclesie iudicio compertus est. Ita v. g. referente Eusebio Eccles. hist. lib. 5. cap. 23. & 24. cum S. Polycarpus à S. Aniceto, ac postmodum alii Asiae Episcopi ab aliis Pontificibus Romanis dissentirent circa diem, quo celebrandum erat Pascha, licet in favorem Asianorum S. Joannis Apostoli, & aliorum Sanctorum Traditio, imò Evangelium ipsum allegaretur, prevaluit iudicium Summorum Pontificum, Pascha die tantum Dominico celebrandum statuentium, sententiae Asianorum decimam quartam Lunam, quocumque die accideret, sive Dominico, sive alio illud celebrantium, plurimisque Conciliis, etiam primo generali Nicæno decretum est, Pascha die Dominico fieri debere.

II. Non tamen usque ad Ecclesie consensum in Concilio Nicæno, ac in aliis praestitum suspensa est vis iudicii Romani Pontificis. Nam, ut verbis Eusebii ex antiqua versione utar; Victor, qui tum Romanae Ecclesiae praerat, totius Asiae Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei, & opinionis, simul omnes (ut complectar brevi) à communi unitate Ecclesiae amputare conatus, & in eis per litteras graviter invehitur: atque omnes fratres eam incolentes Regionem, profusus à communione secludendos edicit. Tantum aberat, ut S. Victor decreti sui validitati necessarium crederet Ecclesiae universae consensum, ut plurimas Ecclesias invitatis ad consensum illum censuris compelleret. Licet autem aliae Ecclesiae, quae Victori circa diem celebrandi Paschatis consentiebant, censurarum usum contra tot Ecclesias Orthodoxas non probarent; auctoritatem tamen non negabant, ut videre est apud Eusebium loco citato, ubi de sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi nominatim sic scribit; Irenæus quamquam per litteras scriptas ex persona fratrum in Gallia quibus praerat, tradit Mysterium Resurrectionis Domini sola die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multis Ecclesiis omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas ascripta observationem à corpore universae Christi Ecclesiae penitus amputet, cum pleraque alia, tum ista, quae sequuntur, apposite & convenienter admovent, &c. Nota haec verba, A corpore universae Christi Ecclesiae penitus amputet, quae aperte significant Romani Pontificis in universam Ecclesiam auctoritatem. Non enim Victor ab illarum Ecclesiarum communione solus recedebat, sed eas ab universo Ecclesiae corpore sequestrabat. Si cui fortè nimius videretur ejus Pontificis



cis erga tot Ecclesias rigor pro re ad fidem, saltem proximè, non spectante, causas legerit apud Baronium ad annum 198. rigorem illum tunc temporis necessarium fuisse ostendentem.

12. Sed ut redeamus ad quæstiones fidei, hæresibus, & schismatis via panditur in tanta congregandarum hodie Synodorum Generalium difficultate, & tam modicâ inter diversarum, vel etiam inimicarum ditionum, & nationum Præfules communionem, nisi iudicium Romani Pontificis tanquam certissimum suscipiendum sit. Quamobrem consultius est modernorum Antistitum Gallicanorum declarationem postponere sententiæ aliorum multò plurium, qui non ita pridem, & consulendam sanctam Sedem in quæstionibus fidei, & ejus Decretis internum animi obsequium debere, etiam antequam Ecclesiæ universæ consensus accesserit, tam apertè declaraverant, ut eorum mens nullis argutiæ nebulis possit obscurari. Sic enim legimus in litteris octuaginta quinque Episcoporum Galliæ ad Innocentium X. an. 1653. scriptis. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solennis Ecclesia mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Equissima huic legi obsequentes, &c.* Vides hic, jus esse Romani Pontificis in fide Petri nunquam deficiente fundatum, ut majores causæ ad eum referantur. Audi jam quanta sit ejus Decretorum vis & efficacia; *Expertata est nuper Beatitudo vestra quantum Apostolica Sedis in gemini capitis errore profugando valuerit autoritas. Continuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti, & mare obedierunt. Non esse autem necessarium reliquorum Episcoporum consensum, ut illis Decretis Christiani omnes, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur, docent aliæ litteræ à 30. ex iis Episcopis, reliquis absentibus, scriptæ eidem Pontifici 19. Julii eodem anno; Non solum ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex Anathematis adversus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso, paulò ante jactis, IUDICIA PRO SANCIENDA REGVLA FIDEI A SVMMIS PONTIFICIBVS LATA SVPER EPISCOPORVM CONSULTATIONE (SIVE SVAM IN ACTIS RELATIONIS SENTENTIAM PONANT, SIVE OMITTANT, PROVT ILLIS COLLIBVERIT) DIVINA EQVE, AC SVMMA PER VNIVERSAM*

Nnn

Ec-



466 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ECCLESIAM AVTORITATE NITI: CUI CHRISTIANI OMNES  
EX OFFICIO IPSIVS QVOQVE MENTIS OBSEQVIVM PRÆSTA-  
RE TENEANTVR. Eâ nos quoque sententiâ , ac fide imbuti , &c. Licet  
autem hic Episcoporum sententiæ mentio fiat ; tamen , præ-  
terquam quod eam exprimi non esse necessarium declaratur, de  
Episcopis tantùm consulentibus est sermo , quorum nomine  
non intelligitur Ecclesia ; quippe cùm vel singulares , vel  
alicujus Provinciæ aut Regni , non totius orbis Antistites si-  
mul sanctam Sedem consultant. Unde circa finem Epistolæ ad-  
dunt Præsules Gallicani ; Porro nos Innocentio X. cujus ore Petrus lo-  
quutus est , ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus , hanc Divinam Lauream  
gratulati , sacros inter Ecclesia sacros , quod olim de Synodis Oecumenicis fe-  
ri solitum , constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo repe-  
nimus.

13. Eadem fuit antiquorum Gallorum sententia , ut jam  
probavimus , & adhuc probari posset. Epistola sex Episcopo-  
rum ad Innocentium II. an. 1140. scripta inter S. Bernardi  
Epistolas 370. sic incipit ; NVLLI DVBIVM EST QVOD EA,  
QVÆ APOSTOLICA FIRMANTVR AVTORITATE , RATA SEM-  
PER EXISTVNT , NEC ALICVIVS POSSVNT DEINCEPS MV-  
TILARI CAVILLATIONE , VEL INVIDIA DEPRAVARI. Ea  
propter ad vestram Apostolicam Sedem , Beatissime Pater , referre dignum cen-  
suimus , quadam , qua nuper in nostra contigit tractari presentia. Qua quo-  
niam & nobis , & multis Religiosis & sapientibus viris rationaliter discussa  
sunt , vestra serenitatis expectant comprobari judicio , simul & autoritate per-  
petuò roborari.

14. Potho Presbyter Prumiensis de statu domus Dei lib. 3.  
Hoc nanque privilegium , inquit B. Petro Apostolorum Principi Cælesti De-  
creto principaliter traditum atque firmatum , sancti Patres cum magna veneratione  
suscipientes , atque sanctam Romanam Ecclesiam servantes ; iam in Gene-  
ralibus Conciliis , quàm & in cæteris scripturis , & gestis suis , universalem  
Matrem appellaverunt , & sicut ejus documenta in confirmatione fidei , & eru-  
ditione sacra Religionis , ita etiam judicia susceperunt in hoc consentientes , &  
quasi uno spiritu , & una voce concordantes , omnes majores res , & præcipua  
negotia , nec non omnium Ecclesiarum judicia ad eam quasi ad Matrem & Ca-  
pit debere referri , ab ea nusquam appellari , judicia ejus à nemine retrahari ,  
aut refelli debere vel posse.

15. Præiverat illi ejusdem Monasterii Abbas Regino , qui  
longè



longè antea scripserat in Chron. ad annum 859. quod jam supra retulimus ; scilicet STULTITIÆ QUIDEM ELOGIO DENOTANDI , QUI ILLAM PETRI SEDEM ALIQUO PRAVO DOGMATE FALLERE POSSE ARBITRATI SVNT , QVÆ NEC SE FEFELLIT , NEC AB ALIQUA HÆRESI VNQVAM FALLI POTVIT.

C A P U T XVIII.

*De Autoritate summi Pontificis circa Censuram Librorum.*

1. **A**ccendit nostro ævo multorum Litteratorum animos vehemens nova circa res antiquas scribendi prurigo ; quasi nihil jam laudis esset in sequendis communibus sententiis , aut certius moderni scire possent quæ primis sunt gesta temporibus , quàm qui viciniore extiterunt. Si novitatis amor ille circa disciplinas tantum humanas & naturales versaretur , æquiori animo ferretur , ut minùs utilibus studiis occupati subtilioris ingenii acumen in illo exercerent , atque illinc , quam fortè ambiunt , qualemcumque gloriam perciperent. Sed ipsam etiam Religionis disciplinam tentant : quam circa , quoniam innumeri prodierunt libri , parvi æstimandi viderentur qui de novo eduntur , nisi legendi cupiditatem acueret novitas , aut forsàn temeritas. Unde fit ut multitudo Doctorum , quorum tanta fuerat penuria , tantaque necessitas ad hæreticos , Catholicorum insitiã magis , quàm propria eruditione venenum erroris facile propinantes , veritatis solidè ac scitè propositæ vi cohibendos , incipiat ferè ipsi Ecclesiæ gravis evadere , ob nimiam librorum illorum copiam , quorum lectio propter subtiliorem & audaciorem doctrinam Christianæ simplicitati , docilitati , atque adeò religioni non parùm nocet , vel saltem hoc habet incommodi , quod ab evolvendis utilioribus antiquorum operibus avertat , ac disputandi magis , quàm benè vivendi studium pariat.

2. Quoniam autem Romani Pontificis , utpotè supremi

N n n 2

Pasto-



468 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Pastoris est, curare ut oves sibi à Christo commissæ in Pas-  
cua omninò salubria inducantur; dare operam debet, non  
solum ut error à veritate discernatur, quid orthodoxum, quid  
hæreticum, quid salubre, quid corruptum sit declarando;  
sed etiam ut amoveantur pericula sorbendi veneni sub specie  
salutiferi potus, ac cibi proficui. Qua in re, cum nihil sit  
humanæ præsumptioni & arrogantiaè gravius, quam si ope-  
ra, quæ plerique Autores magis deplorant, quam parentes  
propriis liberos, censurâ publicâ inurantur; raros videas qui  
adversus suorum librorum Judicem non obmurmurent; mul-  
tos qui sententiam iniquitatis accusent; nonnullos qui in  
Pontificem calamum convertant.

3. Vix quidem inter Catholicos quemquam reperias, qui  
jus illud damnandorum, prohibendorumve librorum Roma-  
no Pontifici competere neget. Sed multi ejus censuram vio-  
lantes, inobedientiaè culpam obvolvère futilibus excusatio-  
nibus conantur, obtendentes illam, sicut alia pleraque De-  
creta, ultra montes vim non habere, quasi Romani Ponti-  
ficis potestas à Christo fuerit Alpibus circumscripta, vel Ec-  
clesia monstruosum corpus sit, cujus pars capitis ductum se-  
qui, altera se ipsam regere debeat. Alii, ut liberiùs Ponti-  
ficis ordinationibus sese subtrahant, eas asserunt non à Pon-  
tifice proficisci, sed à Congregationibus, in quibus Mona-  
chorum, antiquioris, reconditioris ac solidioris litteraturæ  
ignarorum, & certis quibusdam Scholarum formulis servili-  
ter addictorum, suffragia prævaleant; quasi Decreta, in scio  
Papâ, nec ad eum factâ fideli omnium relatione, ab Offi-  
cialibus ad id muneris deputatis proferrentur, aut deberet  
illa edere Pontifex non adhibitis convenientibus mediis, Theo-  
logorum scilicet consultationibus: aut illorum dumtaxat ex-  
petenda essent suffragia, qui sibi cæteris doctiores videntur  
ac sapientiores.

4. Apostolicum est oraculum, quod *corrumpunt mores bonos col-  
loquia mala* 1. Cor. 15. vers. 33. cujus veritatem etsi Spiritus  
Sancti autoritas indubitata non faceret, infelix nimis ex-  
perientia comprobaret. Est enim sermo malus status pesti-  
lens, qui homines innumeros inficit, ac plerisque interficit,  
non solum simplices & incautos, sed etiam sibi præfidentes.  
Tunc



Tunc autem periculofior est corrupta doctrina, cum ex libris hauritur. Qui enim ad legendum accedit, discipuli affectum atque docilitatem affert: ac sæpè Autorem scriptis differenterem, ceu Magistrum habet, quem vivâ voce loquentem audire dedignaretur. Præterea difficile est, ut liber cum voluptate legatur, (quemadmodum ferè semper legitur: quis enim invitus lectionem prosequitur) quin ei fides habeatur; præsertim si, ut solet, error sub verborum lenocinio, aut compositionis artificio latens propinetur. Sapientissimum igitur Pastorum, ac præcipuè Supremi consilium est, ut fideles sibi subditos à legendis perniciosis libris avertant, ipsosque libros exterminent.

5. Quod non est de illis tantum accipiendum, qui doctrinam continent apertè falsam ac malam. Hi enim non nisi volentes decipiunt, aut fortè omninò ignaros: at verò qui venenum occultum gerunt, etiam prudentiores fallunt. Undè non rarò contingit, ut perniciosiores sint ac virus longiùs profundant, quàm ii, quorum aperta corruptio fideles salutis suæ non immemores à lectione dehortatur.

6. Quamobrem miror, quod in Gallia tam parvi fieri videantur Decreta libros damnantia, vel prohibentia. Eorum Autores fortasse sua opera iniquè notata ob nimiam existimationem credentes, aut ad fugiendum pudorem aliis suadere conantes, violationem præcepti excusant sub eo injustitiæ prætextu: alii verò propensione naturæ corruptæ ad falsam libertatem inditæ indulgentes nituntur in vetitum, excitatâ per prohibitionem curiositate.

7. An enim deest summo Pontifici autoritas ad damnandos ac prohibendos malos libros? An ejus judicia in fidei ac morum quæstionibus ad omnes & singulas pertinebunt Ecclesias, eisque omnes Christiani parere tenebuntur: & impunè contemni poterunt ejus Decreta, libros, quos ipse judicavit hæresim continere, aut doctrinam ad fidei, vel proborum morum corruptionem, inducentem, à fidelium manibus amoventia? Sanè quantumvis angustis limitibus coerceas supremi Pastoris potestatem, non video qua ratione quis diffiteri queat, ipsum jus habere impediendi

N n n 3.

quo



470 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
quò minus fides ac mores Christianorum in discrimen per  
doctrinam ad minus periculosam adducantur?

8. Hanc ejus facultatem Conciliis Generalibus non esse  
subordinatam significavit Concilium Tridentinum in con-  
tinuatione sess. 25. cap. 3. ubi librorum examen à Patri-  
bus ad id deputatis confectum Romano Pontifici exhiberi  
præcipitur; ut res, ejus, non autem Concilii, à quo in-  
choata fuerat, autoritate concludatur; *Sacro sancta Synodus*, hæc  
sunt verba Decreti, in 2. sessione sub sanctissimo Domino nostro Pio IV.  
celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac li-  
bris, vel suspectis, vel perniciosis, quid factum opus esset, considerarent; at-  
que ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc huic operi ab eis ex-  
tremam manum impostam esse; nec tamen, ob librorum varietatem, &  
multitudinem possit distinctè, & commodè à sancta Synodo judicari; præci-  
pit, ut, quidquid ab illis præstitum est, SANCTISSIMO ROMANO  
PONTIFICI EXHIBEATUR: UT EIVS IUDICIO, ATQUE AV-  
TORITATE TERMINETUR, ET EVULGETUR.

9. Sed ut Gallis domesticum & antiquum Canonem pro-  
ponamus, audi Concilium Turonense secundum an. 567.  
can. 20. summi Pontificis autoritatem, stylo rei gravitate  
digno, vindicantis; Et quorum Auctorum valere possit prædicatio, nisi  
quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut Apocryphos fecit, & Pa-  
tres nostri hoc semper custodierunt quod eorum præcepit autoritas?

10. At, inquires, libris qui reprobantur, bona in sunt plu-  
rima: quidni ergo juxta Pauli præceptum primæ Thessal. 5.  
Omnia probentur, ut quod bonum est teneatur? Respon-  
deo eum delectum non ad quemlibet pertinere; sed ad pe-  
ritos: nec ad illos quidem, nisi ex commissione; aut cum  
licentia, postquam autoritate Superiorum Ecclesiasticorum  
libri prohibiti sunt. Alioquin inutilis erit omnis censura.  
Quotus enim quisque est inter eos, qui litteris operam de-  
derunt, adè modestus, ut suam eruditionem agnoscendis  
in libris quos legit, erroribus, aut suam virtutem rejicien-  
dis illis imparem arbitretur? Præterea num defunt Ecclesiæ  
libri, quos inoffenso pede quisque percurrat? Num quæ  
nobis scitu necessaria, vel utilia sunt, alibi reperire licet,  
quàm in hujusmodi libris ad minus suspectis, atque adè  
periculosis?

¶ I. Sed



II. Sed vanus, aut etiam injustus est timor ad librorum valde utilium damnationem aut prohibitionem impellens. Autoris justè damnati, vel viri errori jam adhærentis, aut de se arroganter sentientis voces sunt istæ. Pius enim ac humilis Christianus in obedientia legitimis superioribus præstita securius ad salutem præsidium positum, quàm in mediis, proprio arbitrio, ac contra Ducis à Christo constituti præceptum adhibitis, confidit. Quandonam tanta est legendi alicujus libri prohibiti necessitas, tam tuta omnis ejus doctrina, tam probè affectus Lector, ut judicare liceat rem Deo gratiorem præstiturum, qui ejus Vicarii mandatum hujusmodi lectione violaverit? Nonne ita sentientium temeritas meretur, ut à Deo deserantur, & in errorem aliàs facile devitandum impingant. Equidem, si attentè observaveris, paucos videas libris prohibitis evolvendis delectari, qui aliquo pravo vel periculoso præjudicio non sint imbuti.

